ΝΕΩΚΟΡΟΣ

CIVITATES NEOCORAE SIVE AEDITUAE

e

veterum libris, nummis, lapidibus inscriptis adumbratae

atque

corollariis quattuor additis .

ILLUSTRATAE

A

JOANNE HENRICO KRAUSE.

LIPSIAE
Impensis fratrum Reichenbachiorum.
MDCCCXXXXIV.



VIRO

ILLUSTRISSIMO, CONSULTISSIMO, SPECTATISSIMO

LUDOVICO PERNICE

JURISCONSULTO PERITISSIMO, JURIS UTRIUSQUE ATQUE PHILOSOPHIAE DOCTORI, ACADEMIAE HALENSIS CUM VITEBERGENSI CONSOCIATAE

CURATORI,

BORUSSORUM REGI A CONSILIIS INTERIOR. REGIM. SUP. ORD., COLLEGII DE JURE RESPONDENTIUM PRAESIDI ORDINARIO, ORDINIS AB AQUILA RUBRA DENOMINATI EQUITI ETC.

summa verecundia dicat, consecrat
AUCTOR.

Vir Illustrissime!

Historia gentium faustis et adversis, laetis et acerbis perinde nutrita, aucta et adulta saeculo cuique suum habitum, suum tribuit accipitque colorem. Usitato more per arma et caedes vadit adhuc torva, vultu sereno adhuc pacis tempora carpit. Docuit docetque gentes, quid agendum, quid omittendum: frustra! Pace populi aluntur et crescunt, bellis consumuntur: virtute gentes roborantur, nequitia absorbentur. Nonne mirari licet, adhuc in orbe terrarum ullum belli, ullum nequitiae vestigium reperiri? Bella ambitione excitantur, nequitia floret, ut hodieque vere dicta putaveris, quae Seneca Lucilio suo scripsit: „Miraris, si nondum sapientia omne opus suum implevit. Nondum tota se nequitia protulit. Adhuc nascitur et huic omnes operam damus, huic oculi nostri, huic manus serviunt" (Nat. quaest. VII, 32). Saeculi nostri quot et quantae sint laudes quis ita verbosus ut aequalibus exponere velit? Nolo ejus palmis quidquam decerptum: delector potius virentibus. Vireant per omne aevum! Attamen vereor, ne in rebus externis ubique

major appareat splendor et magnificentia, quam in hominum animis virtus et probitas. Multa apparantur speciosa, multa multi moliuntur operosi. Si quaeris, quorsum? salutem civitatis jactabunt. Credo, concedo, laetor. Reperiuntur etiam homines, qui quamquam ipsi pessima sint omnis nequitiae mancipia, nec sese ipsi ex servitute miserrima in libertatem vindicare potis sint, tamen nescio quid de emancipandis civitatibus fabulari audeant. Sunt illi quidem rerum umbris, verborum nugis simillimi, quos qui penitus novit, ridet et odit. Virtutem sinceram profecto pauci expetunt, fucatam plerique amplectuntur, externis involucris conspicuam, utpote non virtutem nudam, sed mercedem aucupati. Socrates et Diogenes virtute sola et sincera contenti contemnerentur hodie ab hominibus vanis, qui omni veritate ac simplicitate exuta quamlibet induant personam, quasi scenae non vitae nati. Blandae voces in ore rotundo, obtrectatio in animis ad fallendum compositis. Nonne εὐθέα χρὴ τὸν ἑταῖρον ἔμεν καὶ μὴ σκολιὰ φρονεῖν? *Homines bene barbatos et imberbes,*

nitidos et comptos, urbanos profecto et disertos, bellos et facetos etiam, si placet, in omnibus inveneris compitis, virtute praeditos perpaucos. Quid, quaeso, prosunt tot gloriosa saeculi inventa, virtute contempta et fugata? Quid viae planae ferro constratae atque magna vehicula vaporis turbine concitata celerrimeque acta, si in illis non homines boni, probi, honesti, frugi, casti, fidi, benevoli, legumque reverentes vehuntur? Fac enim magnam nebulonum colluviem hinc inde congestam vehiculis istis raptim auferri, non in desertas insulas, quod probi omnes dudum exoptarunt, sed huc illuc vectam revectam: quid prodest civitati? Qualem spem salutis in hominibus nequam collocabit? Civitatium incolumitas profecto non tam vaporis impetu, quam civium virtute continetur.

Tot vita humana profert virtutes, si aluntur et foventur, quot prata flores. Quotusquisque tamen reperitur, qui non omnium voluptatum potius, quam omnium virtutum flores decerpere velit? Multos profecto cognovi, qui histrionum potius artes, funambulorum omniumque θαυματουργῶν

lusus potius, sonorum chordarumque dulcedinem potius, omnes nugas potius, quam ullam virtutem admirari, amplecti, expetere soleant. Illi quidem puerorum more quasi ludentes vitam transigunt, et ut cum Seneca loquar (in sap. non cadit injur. II, 12) a pueris magnitudine tantum formaque corporum differunt. Et vos, homines voluptarii, etiam fastu tumere aliosque alto supercilio despicere conamini? Pro pudor! Multo plures sane omnibus rebus externis instructi, quam virtute reperiuntur! At nec operae pretium fortasse, nec ingenio Tuo atque dignitati accommodatum fuerit, me de his diutius conqueri. Cui tamen a rebus vanis pravisque abhorrenti indignatio bilem non moveat?

Quotiescunque viros eximiis virtutibus bonisque artibus praeditos ad summa munera administranda evocatos cognovi, haud mediocre percepi gaudium rebusque publicis optime consultum atque illos meritis ornatos honoribus existimavi. Ita nuper laeto animo audivi, Te, Vir Illustris, huic nostrae celeberrimae litterarum sedi Cu-

ratorem esse constitutum. Quis tandem illi non gratulatus fuerit, quod eum patronum ac praesidem sit nacta, a cujus voluntate praeclara ejus civibus optima quaeque sperare liceat? Opto sane vehementer, ut eodem animi vigore, quo novi muneris officia auspicatus es, per multos annos Tibi obire ea concessum sit, ut hinc uberrimi fructus in hanc Academiam nostram redundent. Dudum Te novimus animi sinceritate, ingenio uberrimo, judicio subacto, amplissima doctrina, exquisita in rebus agendis dexteritate, humanitate cuique obvia atque comitate singulari praeditum. Quem virum bonum tales virtutes haud alliciant Tibique devinctum teneant? Equidem dudum solitus sum ad hominum virtutes dignoscendas animum advertere easque certis documentis compertas admirari. Itaque, hac occasione data, Tibi, Vir Illustris, eorum nomine, quos a Te saepissime in summis miseriis adjutos et conservatos novi, grates agam quam possum maximas, quum ab illis ipsis aut nondum palam actae sint, aut agi nequeant. Atque ne mireris, me alienas

partes susipere, mihi crede, viros probos a quoque ubique censeo laudandos: homines virtute destitutos a quoque ubique cassa nuce leviores esse habendos.

Jam spero fore, ut hujus Academiae florentissimae cives Tuo praesidio ac patrocinio non solum legibus libentissime obtemperent, sed virtutis etiam masculae flores pulcherrimos multo libentius, quam mollia et blanda voluptatis lenocinia expetant, ut honestius censeant, omne tempus litterarum studiis strenue capessendis fideliter consecrare, quam rebus futilibus, nugis ludibriisve tractandis pessime perdere.

Postremo Te, Vir Illustris, verecunde ac modeste rogatum velim, ut huncce libellum qualemcunque Tuo nomini illustri dedicatum animo benigno, quo adeuntes soles, comiterque admittas, nec rem ipsam, quippe Tuo nomine non satis dignam, sed voluntatem respicere velis animumque Tibi addictum. Vale!

Summarium.

Corollaria I.

Corollaria II.

Corollaria III.

Corollaria IV.

ΝΕΩΚΟΡΟΣ

CIVITATES NEOCORAE SIVE AEDITUAE

e

veterum libris, nummis, lapidibus inscriptis adumbratae

atque

corollariis quattuor additis illustratae.

La science de l'antiquité est à notre égard comme un pays dont les routes se seraient perdues et couvertes de bois ou de buissons qui en auraient fait disparaître la trace. Pour retrouver les rapports des objects et les communications jadis établies entre eux, c'est-à-dire pour rendre compte de beaucoup d'anciens usages et de leurs raisons, il n'y a point d'indication, quelque légère qu'elle soit, qu'on doive négliger; et le plus petit sentier, pourvu qu'il soit rouvert sur de fidèles temoignages, peut conduire aux routes les plus importantes.

Quatremère de Quincy, Juppiter Olymp. §. 8, p. 44 seqq.

§. 1.

Prooemium.

Antiquitates latissimo sensu et ambitu res humanas atque divinas complexae ratione idonea in profanas et sacras dispescuntur. Sacrae vero perinde ac profanae in publicas et domesticas possunt sejungi, siquidem ritus, caerimoniae, sacrificia domi et foris, privatim et publice peragebantur. Verum tamen qualicunque jure haec sit partitio facta, nulla tamen illarum partium ita a reliquis est secreta ac divisa, quin altera alterius saepissime indigeat ejusque sit quasi interpres habenda atque in universum omnes illae regiones arctissimo inter sese affinitatis vinculo contineantur. Nos quidem hoc libello antiquitatum sacrarum particulam, nimime tritam illam nec vulgarem, suscepimus explicandam, de civitatibus nempe *neocoris* sive *aedituis*, quod argumentum ita est comparatum, ut non solum cum antiquitatibus rerum humanarum maxime cohaereat, sed ut historiae gentium ac civitatium exhibeat partem haud contemnendam. Quidni? quum permulta de imperatoribus Romanis perinde ac de provinciis civitatibusque Romano imperio subjectis sint dicenda. Maximam enim partem neocoria ad imperatorum aetatem pertinet, qua antiquitates sacrae peculiarem quendam nactae sunt colorem. Romae enim illo tempore omnis vita et publica et domestica haud paucis novis institutis moribusque infecta, caerimoniis, ritibus, solemnibus plerumque vanis referta a prisca virtute ac simplicitate dudum immane quantum degeneraverat. Deorum peregrinorum cultus in civitatem receptus non solum Romae, sed in Italia etiam omnibusque provinciis novas rerum imagines protulerat. Accedit quod imperatores etiam eorumque uxores deorum ritu plerumque colebantur, adorabantur. Omnia

adulationis plena: veritas, integritas, virtus requirebantur. Dies festi, ludi, triumphi novam speciem, novum ornatum praebebant. Quae omnia quum ex scriptoribus serioris aetatis, tum ex nummis lapidibusque inscriptis quam maxime intelliguntur*). Quod ad neocoriam, ejus originem, florem omnemque historiam attinet, largissimam materiam nobis veteres nummi exhibent, testes fidissimi nobisque exoptatissimi. In universum sane magnam, egregiam utilissimamque rerum discendarum copiam nummorum veterum thesauri locupletissimi libris multis jam ac splendide ornatis vulgati nobis suppeditant: clara luce accuratior eorum cognitio haud paucas obscuriores doctrinae philologicae regiones aspergit, vestigiis monstratis scriptorum veterum interpretes ad verum ducit, egregie adjuvat, instruit et litteris exaratis et imaginum diversissimarum typis impressis multiplicem illis praebet supellectilem. Profecto qui nummorum veterum cognoscendorum studio prorsus abstinuit, eum multarum rerum utilissimarum ignarum et haud mediocri interpretationis adjumento destitutum censeo[1]). Exstiterunt enim et floruerunt civitates veteres a scriptoribus illorum temporum aut silentio praeteritae aut vix tribus verbis commemoratae, de quibus nummi loquuntur, quarum rempublicam paucis lineis adumbrant ejusque statum ac condicionem testantur. Licet enim nec magnae illae nec opulentae fuerint, imagines tamen majorum erant civitatium et ad certam rerumpublicarum formam constitutae. Ut argumentis utar, quis scriptorum veterum quidquam memoratu dignum de Chersonesi Thracum oppidis Cardia et Coela nobis tradidit? Quis de Phrygiae oppidis Sala, Spectorio, Synao, Themisonio,

*) Quod ad vocabuli *nummus* scribendi rationem attinet, pleniorem formam et usitatiorem ut meliorem praeferendam putavi, licet Eckhelius cum aliis ubique *numus* scripserit. Cf. Varro de ling. Lat. V, 36, p. 67. ed. Müll. Polluc. Onom. IX, 79. *Ὁ δὲ νοῦμμος δοκεῖ μὲν εἶναι Ῥωμαίων τοὔνομα τοῦ νομίσματος κτλ.* Suid v. *νόμος· καὶ Ῥωμαῖοι παρατρέψαντες νοῦμμον λέγουσιν.* Inprimis Boeckh. Metrol. Disquisit. XXI, p. 310.

1) Ut silentio praeteream, eum, qui Graecarum civitatium nummos nunquam viderit manuve tractaverit, omni ex parte intelligere non posse, quousque delineandi, scalpendi caelandique ars apud illas sit progressa.

Hyrgalea, Nacolea, Sibidonda exposuit? At permulti conservati sunt nummi, qui certa de illis ac luculenta nobis testimonia afferunt, qui typorum inscriptionumque varietate admirabili nos et docere et delectare possunt[2]). Quis de Phygela et Gambrio Ioniae, de Alinda oppido et Calymna insula Cariae, de Blaundo, Tabala et Dalde Lydiae, de Laranda Lycaoniae metropoli, de Vantico Galatiae, de Lacanata Ciliciae, de Traelio et Tyrissa Macedoniae talia in medium protulit, qualia e nummis plurimis discimus[3])? Reges etiam atque reginae exstiterunt, quorum nomina nummis tantum ad posteritatis memoriam sunt propagata[4]). Quodsi temporis computandi rationes diversas, quibus civitates veteres uti solebant, respicimus, quis tot certa nobis testimonia ad has difficillimas quaestiones enodandas exhibuit quam veterum nummi? Regum, archontum, prytanum, ducum, virorum in republica administranda versatorum summisque muneribus functorum nomina innumera nobis offerunt civitatium veterum nummi. — Verum tamen quum nec instituti sit nostri nec hujus loci, in his exponendis immorari, ad argumentum transimus propositum, maximam partem id quidem e veterum nummis repetendum. Perpauca enim scriptores antiqui, Tacito et Dione Cassio exceptis, de civitatium neocoria sub imperatoribus Romanis instituta atque propagata tradiderunt, ita ut haec omnis fere quaestio tum e nummis tum e lapidibus inscriptis sit nobis

---

2) Cf. Mionnet Descr. d. med. ant. Gr. et Rom. T. I, p. 426 seqq. T. IV, p. 357 seqq. Suppl. T. VII, p. 575. 601. 612. 616 seqq. 618. 625. aliisque locis. Nonnulla illorum oppidorum (*Νακόλεια*, *Θεμισώνιον*, *Συναός*) Strabo XII, 8, 576. Cas. uno verbo memoravit atque *πολίσματα* appellavit.

3) Ibid. T. III, p. 136. 186. V, 131. VI, 443 seqq. VII, 341 seqq. 436 seqq. 657. Suppl. T. III, 172. VI, 443 seqq. VII, 147 seqq. — Nonnulla de illis oppidis in lapidibus etiam inscriptis reperiuntur, ut de Calymna insula Cariae. Cf. Boeckh. C. I. n. 1267.

4) Exempla praebent nonnulli Arsacidarum nummi. Cf. Vaillant Arsacid. imp. sive regum Parth. hist. ad numm. accommodat. Mionnet loc. plur. Descr. d. med. etc. T. VIII. Suppl. — Nummum aureum reginae alioquin plane ignotae nomine inscriptum thesaurus custodit Berolinensis. Nec reginae tamen nec civitatis nomen accurate recordor. Ni fallor, a civitate magnae Graeciae aliqua iste nummus est cusus aut a Sicula. —

derivanda. Quae si cui tenuior forte minusve fructuosa videatur, eum pedibus in contrariam iturum sententiam arbitror, simul ac cognoverit, multa nummorum veterum millia neocoriae notis esse insignita neminemque de his recte judicare posse nisi de neocoriae ratione atque significatione edoctum. Praeterea quum nostra aetate saepissime acciderit, ut vetus inscriptio aliqua vel in lapide eruto vel in vasculo fictili reperta doctorum hominum dissertationes eliceret: equidem tantam nummorum veterum copiam haud minus dignam putaverim, ut eorum inscriptiones diligentius cognoscantur atque illustrentur. Neocoria ceteroquin per tria fere saecula maximo studio atque mutua contentione celebrata gravis nobis ac locuples illorum temporum testis, tristissima testis est gentium et civitatium a Romanorum armis ita subactarum, ut salutem nonnisi ab imperatorum benevolentia exspectare cogerentur. Immo intelligimus hinc accuratius, quam ex multorum veterum scriptorum testimoniis, quas partes illae civitates sub imperatoribus Romanis sustinuerint. Dudum enim illae cognoverunt, nullum aliud refugium auxiliumve sibi relictum contra *τῆς τῶν κυρίων Ῥωμαίων αἰωνίου ἀρχῆς* (ut ipsae lapidibus inscripserunt) potentiam[5]), quam imperatorum lenitatem ac benignitatem, quam omni modo sibi conciliandam putabant.

---

5) Cf. Boeckh. C. I. n. 2715. Hic statim exponere lubet, cur hoc in libello ubique voce *neocoria* potius quam *neocoratus* usus sim. *Νεωκορία* vox est Graeca, quamquam seriore demum aetate obvia (Anthol. Maneth. IV, 441. Grut. Inscr. p. LXXXV), qua voce in Latina etiam lingua uti utriusque sermonis cognatio mutuumque commercium permittunt. *Νεωκόρος* apud Platonem jam et Xenophontem reperitur: N e o c o r u s vero apud serioris demum Latinitatis scriptores, ut apud Iul. Firmicum (de error. prof. relig. c. 14.). Neocoratus neque Graeca est neque Latina vox, quippe a philologis antiquariisque ad aliorum vocabulorum (e. c. tribunatus, consulatus, pontificatus etc.) similitudinem formata et in usum vocata (ab Eckhelio etiam Doctr. numm. T. IV, 295 et Boeckhio in Corp. Inscr. not. ad. 2022. 2023 usurpata). Tacitus quidem complurium civitatium *neocorias* ab imperatoribus Romanis senatuve impetratas commemoravit, sed hac voce constanter abstinuit. Nimirum templorum tantum imperatoribus honorandis erectorum, non sacerdotum institutorum mentionem fecit. Romae eod. August. memorat Ann. I, 54. Mirum sane, ne vocem

§. 2.

De neocoriae origine.

Originem neocoriae indagantibus apud Graecos quidem inde ab antiquissimo tempore usque ad Alexandrum magnum nulla divini cultus a diis ad homines *vivos* templis adorandos translati certa exempla reperiuntur, quamquam heroas, civitatium conditores, reges potentes atque virtutibus insignes, principes rebus gestis maxime illustres aut de populis bene meritos post mortem haud raro divinis mactatos honoribus veteres historiarum scriptores testantur [5b]). Hinc νεωκόρος pristina aetate, h. e., ex quo tempore primum haec vox in usum venerat, nihil aliud significare potuit, quam templi numimi alicui consecrati ministrum, famulum, aedituum, cui tutela illius curaque erat mandata [6]). *Νεωκόροι* igitur antiquitus diis tantum constituebantur: seriore aetate promiscue et diis et hominibus. Neocororum munere antiquitus homines singuli tantummodo fungebantur, seriore tempore et homines et universae civitates, urbes, oppida. Neocoriae notio primaria quidem jam antiquissimo tempore exstitit, sincera illa quidem nimimeque hominum adulatione contaminata, sed ad solos deos eorumque templa casta et

---

neocorus quidem apud scriptores Latinos melioris aetatis reperiri. Plinius c. c. (XXXV, 36, 16) Megabyzum apud Xenophontem Anab. V, 3, 6. τῆς Ἀρτέμιδος (sc. Ἐφεσ.) νεωκόρον dictum, simpliciter appellat Dianae sacerdotem. Graeca vox νεωκόρος in nummis Cyzicenis νεοκόρος scripta reperitur, de qua scribendi ratione Liebe Thes. Frid. III, 5, p. 374 conferri poterit.

5b) Huc Homeri templum apud Smyrnaeos referendum: huc Quirini delubrum Romae antiquissimum: Cic. pro Arch. c. 8. Plin. h. n. VII, 60. XV, 36. Huc etiam delubrum Lycurgi apud Spartanos pertinet. Paus. III, 16, 5. Huc Theseum Athenis inde ab Ol. 77, 4. usque ad Ol. 80 excitatum hodieque conservatum. Huc pertinet etiam templum Appolloniadis, uxoris regis Attali, Cyzici exstructum. Polyb. XXIII, 18, 1. Cf. Müller, Arch. p. 149. 152. ed. II. Huc etiam heroa referri possunt, parvulae aedes, quae divinos honores mortalibus defunctis oblatos testantur. Cf. Herodot. V, 47. — Romae imperatoribus uxoribusque eorum defunctis templa erecta, ut Augusto, Antonio Pio et Faustinae, ut M. Aurelio, aliis. V. infra §. 9, not. 55. Huc etiam Dioclis templum referendum, qui Syracusanis leges tulerat. Diod. XIII, 35. Cf. Hirt. Hist. arch. II, p. 82.

6) De templorum diis consecratorum neocoris infra §. 13. disseremus.

sancta relata. Neocori, qualis antiquitus fuerit, imaginem egregiam Euripidis Ion nobis praebet, qui Apollinis templo Delphico custos aedituusve appositus officii sui diurni in templo purgando collocati jucundissimam exhibet descriptionem: *ὡς γὰρ ἀμήτωρ ἀπάτωρ τε γεγὼς τοὺς θρέψαντας Φοίβου ναοὺς θεραπεύω,* — — — et *ᾧ σαίρω δάπεδον θεοῦ παναμέριος ἅμ' ἡλίου πτέρυγι θοῇ λατρεύων τὸ κατ' ἦμαρ* etc.[7]). Ut ubique atque omni aetate munerum officiorumque publicorum dignitas paullatim crescere solet, ita neocororum dignitas paullatim aucta est et amplificata. Jam Euripidis Ion, quamquam nativa quadam simplicitate egregie praeditus mimimeque gloriosus, tamen officii sui numini dicati honorem atque significationem bene novit: *κλεινὸς δ' ὁ πόνος μοι, θεοῖσιν δούλαν χέρ' ἔχειν, οὐ θνατοῖς, ἀλλ' ἀθανάτοις κτλ.*[8]). Apud Platonem *νεωκόρος* jam tanta fere dignitate instructus conspicitur, quanta quattuor saeculis post in nummis lapidibusque ornatus prodit[9]). Nam describit eum ut antistitem templis sacrificiisque curandis praefectum. Attamen deorum tantum, non hominum *νεωκόρους* novit. Eodem modo Xenophon Dianae Ephesiae *νεωκόρον* commemorat[10]). Jam paullatim tantus ejus muneris splendor esse coepit, ut ad summi antistitis, *τοῦ ἀρχιερέως*, dignitatem quam proxime accederet[11]). Permansit deinde usque ad seriorem imperatorum Romanorum aetatem neocori munus et titulus, ita quidem, ut neocori deorum et neocori imperatorum discernerentur. Utriusque generis complura eorum nomina nummis lapidibusque consignata ad posteritatem pervenerunt[12]). —

7) Eur. Ion. v. 109 seqq. 121 seqq.

8) V. 130 seqq. Quod ad primigeniam *τοῦ νεωκόρου* significationem attinet, Suidae interpretatio ab ea, quam Hesychius dedit, discedit. Hesych. s. v. *Νεωκόρος ὁ τὸν ναὸν κοσμῶν· Κορεῖν γὰρ τὸ σαίρειν ἔλεγον.* Suid. s. v.: *Νεωκόρος ὁ τὸν νεὼν κοσμῶν καὶ εὐτρεπίζων· ἀλλ' οὐχ ὁ σαρῶν.* Suidas ad seriorem notionem jam propius accedit quam Hesychius.

9) Legg. VI, 759, a—c. De quo loco infra §. 13. uberius disseremus.

10) Vide infra §. 13.

11) In lapidibus inscriptis serioris aetatis et *νεωκόρος* et *ἀρχιερεὺς* iisdem titulis nonnunquam ornati reperiuntur. V. §. 13.

12) Cf. infra §. 13.

His praemissis videbimus, quomodo paullatim factum sit gentesque atque civitates eo denique sint deductae, ut imperatoribus Romanis templa erigenda atque neocoriam solemnem censerent instituendam. Ut Alexandri vesaniam, Jovis Ammonis filium sese praedicantis atque revera adorationem divinam expetentis silentio praeteream, inde ab illius aetate paullatim coeptum est, reges, principes, duces bellandi arte victoriisque claros summis honoribus afficere, ludos solemnes eorum nomine designatos celebrare, advenientes splendide salutare, titulis lapidibus inscriptis inusitata adhuc verborum magnificentia ornare, immo ΘΕΟΥΣ eos nuncupare. Templa tamen illis adhuc nulla civitas excitare erat ausa. Labente demum civitatium libertate, aufugiente morum pristinorum simplicitate atque disciplina antiqua emollita, non solum statuae illis frequenter positae, quod dudum usitatum, sed arae etiam erectae aliaque adulandi genera usu recepta. Lysandro, bello Peloponnesiaco finito, quanti honores a Graecis sint habiti (victoribus et victis), enarrare non operae pretium[13]. Athenis ipsis, celeberrima illa libertatis sede virtutisque metropoli, quantos et quales honores et quam inauditos regibus post Alexandrum obortis tributos legimus! Posteaquam Demetrio Phalereo Macedonico praesidio urbem tenenti omnes honores affatim obtulerant, Demetrius Poliorcetes, Antigoni filius, supervenit illumque expulit. Quum pristinam Atheniensibus libertatem in breve tempus restituisset, tot eum honoribus cumulaverunt omnique adulandi genere inflarunt, ut taedium cuique crearem, si haec enarrare vellem. Unam tamen rem, quae ad nostrum argumentum quam maxime pertinet, silentio praetermittere nequimus. Quum enim et Demetrium et Antigonum ejus patrem reges appellassent, eo non contenti utrumque inter deos servatores retulerunt eorumque constituerunt sacerdotem, cujus rei testem disertissimum habemus Plutarchum: *Μόνοι δὲ σωτῆρας ἀνέγραψαν θεοὺς καὶ τὸν ἐπώνυμον καὶ πάτριον ἄρχοντα καταπαύσαντες, ἱερέα*

13) Plut. Lys. c. 18. Inter alia haec retulit: *Πρώτῳ μὲν γάρ, ὡς ἱστορεῖ Δοῦρις, Ἑλλήνων ἐκείνῳ βωμοὺς αἱ πόλεις ἀνέστησαν ὡς θεῷ καὶ θυσίας ἔθυσαν· εἰς δὲ πρῶτον παιᾶνες ᾔσθησαν κτλ.*

σωτήρων ἐχειροτόνουν καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν· καὶ τοῦτον ἐπὶ τῶν ψηφισμάτων καὶ τῶν συμβολαίων προέγραφον. Ἐνυφαίνεσθαι δὲ τῷ πέπλῳ μετὰ τῶν θεῶν αὐτοὺς ἐψηφίσαντο· καὶ τὸν τόπον, ὅπου πρῶτον ἀπέβη τοῦ ἅρματος, καθιερώσαντες καὶ βωμὸν ἐπιθέντες, Δημητρίου Καταιβάτου προσηγόρευσαν κτλ. [14]). Quod si his templum addidissent Athenienses, haberemus plenam serioris neocoriae imaginem. Impudentissimus auctor illorum honorum Demetrio offerendorum erat Stratocles, rhetor popularis, quem Philippides comicus eo nomine perstrinxit, ut *τὰς τῶν θεῶν τιμὰς ποιοῦντ' ἀνθρωπίνας* [15]). Alius ejusdem impudentiae homo et plane vesanus erat Dromocleides Sphettius quidam, qui quum censuisset, ut populus Atheniensis Demetrium velut Apollinem de clypeorum in templo Delphico dedicandorum ratione consuleret (*πῶς εὐσεβέστατα καὶ κάλλιστα καὶ τὴν ταχίστην ὁ δῆμος τὴν ἀποκατάστασιν ποιήσαιτο τῶν ἀναθημάτων*), vehementer indignati hujus sententiae auctorem et irridebant et necabant [16]). Ex quo apparet, nihilominus eos modum quendam tenendum, decori honestique fines aliquatenus servandos nec divina humanis prorsus miscenda putasse. Alioquin perquam mirum foret, quod Athenis nulla neocoriae sub imperatoribus usitatae vestigia reperiantur. Graeci Asiae civitates incolentes ad omne adulandi genus multo procliviores. Nam Seleuci, Syriae reges perinde ac Ptolemaei Aegypti, eo tempore in nummis lapidibusque haud raro *ΘΕΟΙ* appellantur, quod apud illos quidem facilius ferendum [17]). — Posteaquam Romanorum arma ubique invaluerant, republica adhuc integra, eorum ducibus, utpote gentium victoribus omniumque rerum arbitris, a subactis civitatibus regibusque domitis summi honores haberi coepti. Antiochi, regis Syriae,

---

14) Plut. Dem. c. 10 seqq.

15) Plut. l. c. c. 12. Plura *τῆς τῶν Ἀθηναίων κολακείας* genera Demochares apud Athen. VI, 62, p. 252 exposuit. Nec non Thebani ibidem ut *κολακεύοντες τὸν Δημήτριον* describuntur.

16) Ibid. l. c. c. 13.

17) Cf. Spanhem. de praest. et us. numm. T. I, p. 419. Mionnet Descr. d. med. etc. Suppl. T. VIII, p. 43 seqq. Boeckh. C. Inscr. n. 2617. 2618.

legati Romae in senatu teste Livio haec retulerunt: „illum regem haud secus quam deorum imperio, legatorum Romanorum jussu paruisse [18]). Quantus terror minores civitates compescuerit, e timore regis tam potentis facile conjicere possumus. Nam qui armis pollet, rerum summam tenet mortalibusque sicut daemon est timendus atque colendus, si perniciem a cervicibus suis amoliri velint. Quot statuae proconsulibus, propraetoribusque Romanis in provinciis sint erectae, si enumerare vellemus, magnus catalogus nobis foret contexendus. Praeterea alia multa honorum genera usu recepta, dies festos etiam ludosque institutos illorumque nominibus insignitos legimus. Honores a Graecis T. Quintio Flaminino in ludis Isthmiis habitos silentio praetergressi memoremus Marcellia a Syracusanis in Marcelli memoriam celebrata, in quorum locum seriore aetate ut Verria succederent, Verres, praetor omnium impudentissimus, effecerat [19]). Utroque exemplo demonstratur, illo jam tempore a civitatibus devictis quidvis factum, ut duces exercitu stipatos, urbem victricem, senatum populumque Romanum factis verbisque delinirent ejusque benevolentiam ac favorem sibi conciliarent. Quum illa Syracusis sint facta, quae urbs amplissima et opulenta sub imperatoribus neocoriam minime admiserit, quid in aliis civitatibus Marcelli et deinde Verris tempore non factum esse putemus ad Romanorum benevolentiam sibi comparandam [20])? Multis annis ante Verrem, post Marcellum tamen, in Asia, Romanorum provincia, Mucia sunt celebrata, in C. Mucii, hominis probi et innocentis, honorem, de quibus Cicero haec memoravit: „Mithridates in Asia quum eam provinciam totam occupasset, *Mucia* non sustulit: hostis, et hostis in ceteris rebus

18) Liv. XXXXV, 13.

19) Liv. XXXIII, c. 33. Cic. in Verr. II, 4, 64.

20) Huc etiam referri potest, quod Plin. XXXIV, 14 narrat, jam Catonis Censorii aetate Romanorum uxoribus in provinciis statuas esse positas: „Exstant Catonis in censura vociferationes, mulieribus Romanis in provinciis statuas poni.“ Sive hoc publice sive privatim sit factum, non magnopere urgendum, nec multum interest. Quid omnino in hoc genere fieri potuerit, facile ex eo conjicere possumus, quod Cicero in Verr. II, 1, 52. de Verris meretrice narravit.

nimis ferus et immanis, tamen honorem hominis deorum religione consecratum violare noluit"[21]). E quibus verbis praeterea discimus, haud leves fuisse ejusmodi honores, sed deorum religione sancitos et stabilitos. Eodem modo Cyziceni *Lucullea* celebrarunt in Luculli honorem, cujus adventus Mithridatem a Cyzici obsidione gravissima desistere coegerat[22]). Quamquam non ita magnum intervallum inter ludos festos et templi consecrationem interjectum, a templis tamen adhuc provinciae civitatesque Romae subjectae abstinuerunt. Pompejum et provinciae multae et Italiae civitates ingenti studio ac benevolentia erant amplexae[23]). Quot et quanti honores omnisque generis ornamenta in Iul. Caesarem dictatorem adhuc vivum a civitatibus, regibus regulisque sint collata, tum nummorum lapidumque inscriptiones testantur, tum conjectura assequi licet: cui interfecto, ut divo et heroi inter deos relato et Romae et in provinciis honorificentissima quaeque decreta, praesertim posteaquam Octavianus, Antonio devicto, summum imperium invaserat. Inde ab eo tempore adulatio in provinciis maxime exorta et quidvis ausa Augustum ejusque patrem divum Iulium diis aequiparabat.

§. 3.

Quousque illud provinciarum, civitatium regumque Romae subjectorum studium paullatim progressum sit, ex eo quam maxime apparet, quod deorum dearumque nominibus in Augustos Augustasque collatis, novi hujus generis tituli nummis lapidibusque inscripti sint multi, quod jam inde a Nerone frequenter obvium, maxime tamen ab Antoninorum tempore usitatum. Ut Augustum tum a poetis tum in lapidum titulis Jovi, Apollini,

21) Cic. l. c. Cf. in Verr. II, 2, c. 10.

22) Plut. Luc. c. 23. Appian. de bello Mithridat. c. 76, p. 754. Schweigh. In nummis ille rex constanter Mithradates nuncupatur.

23) Dio Cass. XXXXI, 6.: *τοσαύτην γὰρ εὔνοιαν αὐτοῦ πᾶσαι ὡς εἰπεῖν αἱ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ πόλεις εἶχον, ὥστε ἐπειδὴ ἤκουσαν αὐτὸν ὀλίγου ἔμπροσθεν ἐπικινδύνως νοσοῦντα, σωτήρια αὐτοῦ δημοσίᾳ θύσειν εὔξασθαι κτλ.* Dio Cass. hoc loco addit, hunc eximium honorem, republica florente, nemini civi Romano contigisse.

Mercurio, Lari assimilatum silentio praeteream[24]), in nummis Pergamenis Trajanus Jovis amicitiae custodis nomine mactatus cernitur (*ΦΙΛΙΟC ΖΕΥC ΤΡΑΙΑΝΟC ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ*)[25]). Subsequente tempore imperatorem Serapin appellabant, Augustam Isidis aut Dianae aut Junonis aut Cereris aut Vestae nomine ornabant. Messalina e. c. *ΣΕΒΑCΤΗ. ΝΕΑ. ΗΡΑ* dicta[26]). Domitia, Domitiani uxor *ΘЄΑ CЄΒΑCΤΗ. CΜΥΡΝΑΙΩΝ* in Smyrnensi nummo appellata. M. Aurelius et L. Verus in titulo Laconico *νέοι Διόςκουροι* nuncupantur. *Ζανὶ Ἐλευθερίῳ Ἀντωνείνῳ Σωτῆρι* in alio Laconico titulo apud Boeckh. C. Inscr. n. **1314** invenimus[26b]). Commodus sese tum Bacchum, tum Herculem, tum Apollinem praedicabat atque in nummis ita vestitus illorumque deorum insignibus ornatus conspicitur[26c]). Caracallus et Geta in nummis *ΝΕΟΙ ΗΛΙΟΙ* salutati; cujus generis multa alia exempla afferri possunt. Qualem deum imperator quisque illo tempore maxime colebat aut simulabat, talem eum nonnullae civitates ad adulationem maxime proclives in nummis putarunt adumbrandum. Imperatorum uxoribus dearum mysticarum nomina praecipue indita. Sabina Augusta e. c. nova Ceres, *Δημήτηρ νέα*, dicta[27]). Quamquam non imperatorum demum aetate haec adulandi genera

---

24) Cf. Virgil. Buc. I, 7 etc. De titulis Jovi Augusto, Apollini Augusto, Mercurio Augusto etc. Cf. Gruter Thes. Synt. p. 88. Spanhem. de praest. et usu numm. T. II, 12, p. 371 seqq.

25) Mionnet Suppl. T. V, p. 433.

26) Spanhem. de praest. I, p. 281. Apud Graecos vice versa diis nonnunquam eorum hominum nomina sunt addita, quos eximio modo honorare volebant. Ita Thebani *ἱδρύσαντο ναὸν Ἀφροδίτης Λαμίας*, quippe Demetrium Poliorcetem *κολακεύοντες*, cujus *ἐρωμένη* erat Lamia. Athen. VI, 62, p. 252.

26b) Cf. Ael. Spartian. vit. Ant. Carac. c. 5, p. 714. Scr. H. A. Lugd. Bat. 1671.

26c) *Σωτήρ* jam antiquiore tempore reperitur. Ita *Σωτῆρα* Gytheatae jam Titum Quinctium Flamininum in lapide inscripto nuncuparunt: Boeckh. C. Inscr. n. 1325.

27) Mionnet Descr. de med. etc. T. III, p. 226, n. 1262. In multis nummis multarum civitatium talia affatim obvia, ut exemplis minime sit opus. Cf. Athen. IV, 29. Suet. Nerv. c. 59.

primum usu recepta, sed jam inde ab Alexandri magni tempore exempla nobis obvia. Alexander ipse tum Jovis Ammonis insignibus, tum Herculis pelle leonina et clava decoratus in nummis reperitur[28]). Demetrius Poliorcetes Bacchi habitu et cornibus insignis perinde ac Seleucus I. *ταυρόκερως*, nec non Lysimachus Herculi similis est repraesentatus[29]).

§. 4.

Templi imperatoribus Romanis consecrandi initium in Asiae civitatibus esse factum constat. Smyrnenses jam bello Punico secundo finito urbi Romae templum erexisse Tacitus refert, qui Smyrnensium legatos Romae in senatu haec producit affirmantes: „seque primos templum urbis Romae statuisse, M. Porcio consule, magnis quidem jam populi Romani rebus, nondum tamen ad summum elatis, stante adhuc Punica urbe et validis per Asiam regibus"[30]). Haud ita multo post et Alabandenses templum urbis Romae excitarunt, quod ipsi apud Livium testantur[31]). Quae prima exempla honesti speciem prae se ferebant. Tam potentem enim urbem, gravissimis bellis feliciter functam totiesque victricem quidni civitatibus parvulis, quibus illa numinis instar et salutem et perniciem afferre potuit, ut deam adorare licuerit? Smyrna igitur et Alabanda revera urbis Romae erant civitates neocorae sive aedituae, licet neque in

28) Cf. Athen. XII, p. 527. Clem. Protr. IV, p. 16. Sylb. Eckhel. D. N. VIII, p. 280. Quaestio de Alexandro in nummis ita adumbrato in utramque partem est agitata. Nonnulli enim Herculem, non Alexandrum depictum putabant. Cf. Eckh. II, p. 108. Annal. Vindobon. XLVII, p. 171. Visconti Iconogr. II, p. 43. Chois. Gouff. Voyag. pitt. II, p. 41. Aliorum opera memoravit Müll. Arch. p. 156, 2. ed. II.

29) Cf. Visconti II, p. 58, pl. 40, 3. 1. Appian. Syr. c. 57. Liban. 8, 1, p. 301. R. Anthol. Pal. II, p. 654. Plan. IV, 100. Regum Epiphanis nomine appellatorum capita solis radiis circumdata: Visconti II, p. 337.

30) Annal. IV, 56.

31) Libr. XXXXIII, 6 (al. c. 8.): „Alabandenses templum urbis Romae se fecisse commemoraverunt ludosque anniversarios ei Divae instituisse." Apud Mylasa, Cariae oppidum, nuper adhuc templi Romae et Augusto consecrati reliquias repertas testatur Chishull Ant. Asiat. p. 207. cui Eckhelius T. IV, p. 296 fidem habuit.

nummis neque in lapidibus illo tempore, quo templa erecta, eum titulum usurpaverint. De Smyrnensibus nummis neocoriae titulo inscriptis iisque, ut nonnullis visum, ante imperatorum aetatem cusis, postea disseremus.

Augusto imperante haec benevolentiae captandae ratio jam usquequaque dimanare coeperat, cujus rei testimonium luculentum Dio Cassius nobis exhibuit: „*Καῖσαρ — — — — καὶ τεμένη τῇ τε Ῥώμῃ καὶ τῷ Καίσαρι, ἥρωα αὐτὸν Ἰούλιον ὀνομάσας, ἔν τε Ἐφέσῳ καὶ ἐν Νικαίᾳ γενέσθαι ἐφῆκεν· αὗται γὰρ τότε αἱ πόλεις ἔν τε τῇ Ἀσίᾳ καὶ ἐν τῇ Βιθυνίᾳ προετετίμηντο, καὶ τούτους μὲν τοῖς Ρωμαίοις τοῖς παρ' αὐτοῖς ἐποικοῦσι τιμᾶν προςέταξε· τοῖς δὲ δὴ ξένοις (Ἕλληνας σφᾶς ἐπικαλέσας) ἑαυτῷ τινα, τοῖς μὲν Ἀσιανοῖς ἐν Περγάμῳ, τοῖς δὲ Βιθυνοῖς ἐν Νικομηδείᾳ τεμενίσαι ἐπέτρεψε. καὶ τοῦτ' ἐκεῖθεν ἀρξάμενον καὶ ἐπ' ἄλλων αὐτοκρατόρων οὐ μόνον ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς ἔθνεσι, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ὅσα τῶν Ῥωμαίων ἀκούει, ἐγένετο· ἐν γάρ τοι τῷ ἄστει αὐτῷ τῇ τε ἄλλῃ Ἰταλίᾳ οὐκ ἔστιν ὅστις τῶν καὶ εφ' ὁποσονοῦν λόγου τινὸς ἀξίων ἐτόλμησε τοῦτο ποιῆσαι· μεταλλάξασι μέντοι κἀνταῦθα τοῖς ὀρθῶς αὐταρχήσασι ἄλλαι τε ἰσόθεοι τιμαὶ δίδονται, καὶ δὴ καὶ ἡρῶα ποιεῖται, ... καὶ ἔλαβον οἱ Περγαμηνοὶ τὸν ἀγῶνα τὸν ἱερὸν ὠνομασμένον ἐπὶ τῇ τοῦ ναοῦ αὐτοῖ τιμῇ ποιεῖν*[32]). Cum Dione Suetonius egregie consentit his verbis: „Provinciarum pleraeque super templa et aras ludos quoque quinquennales pene oppidatim constituerunt“[33]). E Dionis verbis multa discimus, quae apud alios scriptores frustra quaeruntur. Apparet inde, quod jam supra declaravimus, initium hujus cultus apud civitates Asianas esse factum atque hinc eum in alias Romanorum provincias dimanasse. Quattuor oppida primarias neocoriae sedes ab Augusto constitutas ibidem legimus, Ephesum et Nicaeam, Pergamum et Nicomediam. Ephesi et Nicaeae

---

32) Libr. LI, c. 20.

33) Aug. c. 59. De aliis honoribus Augusto habitis Dio Cass. LI, c. 20 haec narrat: *ἔς τε τοὺς ὕμνους αὐτὸν ἐξ ἴσου τοῖς θεοῖς ἐςγράφεσθαι, καὶ φυλὴν Ἰουλίαν ἐπ' αὐτῷ ἐπονομάζεσθαι κτλ.*

civibus Romanis neocororum officio fungi permissum: Pergami vero Asianis, Nicomediae Bithynis templum erigere et utroque in oppido peregrinis, h. e. Graecis subire et exsequi neocoriam datum. Ephesiis quidem et Nicaeensibus urbi Romae et Iul. Caesari conjunctim templum exstruere concessum: Pergami vero atque Nicomediae Augustus sibi ipsi eundem honorem a peregrinis, h. e. indigenis (qui quidem plerumque Graecae originis, antiquitus coloniis huc deductis), tribui voluit sive passus est. Videmus hic discrimen factum, quod maxime respiciendum: noluit enim imperator prudens *a civibus Romanis* templum *sibimet ipsi* consecrari, quod regium et invidiosum, *sed urbi Romae et Iul. Caesari.* Illud nempe superbum, hoc pietatis officium. Peregrinis tamen est permissum, ut imperatorem vivum templo excitato adorarent, quod, ut Tacitus et Dio testantur, et Romae et in Italia erat adhuc inauditum, ideoque nec civibus Romanis in provinciis concessum [34]).

§. 5.

Romae honoribus immensis, divinis et humanis, in Iul. Caesarem collatis [35]), quidni provinciae bellorum civilium gravissimorum oneribus miseriisque omnibus fessae, simul ac Octavianus, Caesaris *κληροῦχος* et *Θεοῦ υἱὸς* dictus, inimicorum victor atque imperii quasi heres ejus habenas moderari coeperat, iisdem studiis et divo patri et filio imperanti benevolentiam suam, devotum addictumque animum omni modo testarentur [36])?

---

34) Tacit. Ann. XV, 74.: Nam deum honor principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit. Dio Cass. l. c. *μεταλλάξασι μέντοι κἀνταῦθα — — — ἰσόθεοι τιμαὶ δίδονται κτλ.* Huc Callisthenis verba apud Curt. VIII, 5, contra Alexandri adorationem dicta referri possunt: „intervallo enim opus est, ut credatur deus, semperque hanc gratiam magnis viris posteri reddunt.“

35) Dio Cass. XXXXIV, c. 50.

36) Ephesiorum titulus in lapide repertus Iul. Caesarem *θεὸν ἐμφανῆ καὶ κοινὸν τοῦ ἀνθρωπίνου βίου σωτῆρα* dicit apud Boeckh. C. Inscr. n. 2957. *ΙΟΥΛΙΟϹ. ΘΕΟϹ* in multis reperitur nummis. Scriptores etiam Caesarem deum nuncupant, ut Strabo VIII, 6, 381. Cas.: *ἡ Κόρινθος ἀνελήφθη πάλιν ὑπὸ Καίσαρος τοῦ θεοῦ κτλ.* — XIV, 1, 649.: *ὑπὸ Καίσαρος*

Itaque et divus Caesar et vivus Augustus (in nummis lapidibusque *Θεὸς σεβαστὸς, πατὴρ πατρίδος* dictus) ubique in provinciis oppidisque certatim summis honoribus mactati. De regum Romanis aliqua ratione junctorum vel addictorum studiis ad Augustum omni modo ornandum adhibitis testimonium Suetonius nobis reliquit: „Reges amici atque socii et singuli in suo quisque regno Caesareas urbes condiderunt et cuncti simul aedem Jovis Olympici Athenis antiquitus inchoatam perficere communi sumptu destinaverunt genioque ejus dedicare" [37]). Hic tamen princeps ut in rebus plerisque prudenter versatus nimiaque temperare salubriter solitus, ita honoribus istis ubique

---

τοῦ θεοῦ, — —. Augustus pluribus Graecorum titulis *Θεοῦ υἱὸς* dictus: Boeckh. Corp. Inscr. n. 1113. Eodem modo in nummis permultis. Cf. Mionnet Descr. d. med. etc. T. I, p. 466. Tacit. Ann. I, 1. de Augusto: „qui cuncta bellis civilibus fessa nomine principis sub imperium accepit. — E quibus verbis apparet, illo tempore imperium capessere nec difficile nec arduum fuisse.

37) Aug. c. 60. — Quod ad Caesareas urbes attinet, in nummis permultas invenimus inde a Pompeji et Caesaris tempore usque ad seriorem aetatem ab imperatoribus denominatas urbes: Pompejopolis, Iuliopolis, Augusta, Caesarea-Augusta, Neo-Caesarea, Sebaste, Sebastopolis, Claudiopolis, Claudio-Seleucia, Neronia, Neo-Claudiopolis, Flaviopolis, Hadriani et *ΑΔΡΙΑΝΗ*, Hadrianopolis, Hadrianotherae, Plotinopolis, Macrinopolis, Marcianopolis, aliasque permultas. Cf. Mionnet T. I, p. 420. T. II, p. 355. 416. 398 seqq. T. III, 517. 579. T. V, p. 38. 49. 71. 315. T. VII, p. 129. 160. 162., p. 57. 58. all. T. VIII, p. 420. Complures civitates sese epithetis ornabant ab imperatoribus desumptis, ut Cyziceni: *ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΩΝ. ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ*, in honorem Antonini Caracalli: Mionnet T. II, p. 546. Dio Cass. LIV, 23.: *Παφίοις τε σεισμῷ πονήσασι καὶ χρήματα ἐχαρίσατο, καὶ τὴν πόλιν Αὔγουσταν καλεῖν, κατὰ δόγμα ἐπέτρεψε.* Decreto senatus igitur, principe concedente, opus erat. Joseph. Ant. XV, c. 13. *Ἁλωσ.* I, 16, 212., *ἐν μέν γε Σαμαρεῖτι πόλιν καλλίστῳ περιβόλῳ τειχισάμενος ἐπὶ σταδίους εἴκοσι καὶ καταγαγὼν ἑξακισχιλίους ἐς αὐτὴν οἰκήτορας γῆν τε τούτοις προςνείμας λιπαρωτάτην, καὶ ἐν μέσῳ τῷ κτίσματι ναόν τε ἐνιδρυσάμενος τῷ Καίσαρι μέγιστον, καὶ περὶ αὐτὸν τέμενος ἀποδείξας τριῶν ἡμισταδίων, τὸ ἄστυ ΣΕΒΑϹΤΗΝ ἐκάλησεν κτλ.* — Olympicion vero celeberrimum illud, quod Sueton. l. c. memoravit, Hadrianus demum maximo aedificandi studio incitatus, perficiendum curavit. Ael. Spartian. vit. Adrian. Caes. c. 13, p. 126. ed. Lug. Bat. 1671. (in Scr. Hist. Aug.).

ei oblatis modum statuendum censuit. Suetonius: „Templa quamvis sciret etiam proconsulibus decerni solere, in nulla tamen provincia nisi communi suo Romaeque nomine recepit: nam in urbe quidem pertinacissime abstinuit hoc honore“ [38]. Dio quidem l. c. ea templa, quae Augustus Pergamenis et Nicomedensibus exstruere permisit, non ut communia ejus imperatoris et urbis Romae designat, quamquam *urbis* notio ex superioribus facile repeti possit et sine dubio repetenda sit, id quod e Taciti verbis elucet: „quum D. Augustus sibi atque urbi Romae templum apud Pergamenos sisti non prohibuisset,“ quae quidem Tiberii sunt verba [39]. Dehinc jam quaeque civitas, urbes opulentiores oppidave majora favoris ostentandi studio reliquis excellere voluerunt. Benevolentiae exemplum a divo Caesare in filium heredemque derivatae Tarsenses praebuerunt, quod Dio his verbis testatur: „*Οὕτω γὰρ προςφιλῶς τῷ Καίσαρι τῷ προτέρῳ καὶ δι' ἐκεῖνον καὶ τῷ δευτέρῳ οἱ Ταρσεῖς εἶχον, ὥστε καὶ Ἰουλιόπολιν σφᾶς ἀπ' αὐτοῦ μετονομάσαι* [40]. In Italia ipsa eo adulatio est progressa, Suetonio teste, ut civitates quaedam diem, quo primum Augustus ad eas venisset, initium facerent anni [41]. Nec non in Galliam illud imperatoris demulcendi studium dimanasse, Lugdunensium insignis ara Augusto consecrata abunde declarat [42], quamquam nec in nummis nec

38) Aug. c. 52. Addit Suet. haec: „Atque etiam argenteas statuas olim sibi positas conflavit omnes, exque iis aureas cortinas Apollini Palatino dedicavit.“ Quod vero ad templa proconsulibus decerni solita, ut Suet. l. c. dicit, attinet, ista non magna templa, sed parvula delubra fuisse crediderim, nec hoc ita frequenter factum, sed rarius, maxime tamen ex eo tempore, ex quo Pompejus et Caesar eorumque amici in provinciis summam sibi potentiam vindicare coeperant. — Adhuc mihi nullus alius apud veteres locus erat obvius, quam hic Ciceronis Ep. ad Att. V, 21, ubi de honoribus a Cilicibus et Cypriis sibi proconsuli et imperatori habitis haec narrat: „ob haec beneficia, quibus illi obstupescunt, nullos honores mihi, nisi verborum, decerni sino: statuas, *fana*, *τέθριππα* prohibeo.“

39) Tacit. Ann. IV, 37.

40) Libr. XXXXVII, 26.

41) Aug. c. 59. Cf. Dio. Cass. LI, c. 20.

42) Strab. IV, 3, 192. Cas. *Βωμὸς ἀξιόλογος* dicitur accuratiusque ibidem describitur. Aram Ubiorum Tac. Ann. I, 39 memorat.

in lapidibus inscriptis ullum Galliarum oppidum neocoriae titulo ornatum viderimus. Arae tamen illi sacerdotem, Augustalem nempe, additum crediderim, quum aliarum civitatium et nummi et lapides imperatorum sacerdotes (*ἱερεῖς, ἀρχιερεῖς*) multis honoribus titulisque ornatos saepissime exhibeant[43]).

§. 6.

Augusti defuncti consecratio celeberrima, nummis, gemmis aliisque artis monumentis adumbrata illis provinciarum regumque studiis novam atque largam materiam addidit[44]). Tacitus quidem narrat: „Templum ut in colonia Tarraconensi strueretur Augusto, petentibus Hispanis permissum datumque in omnes provincias exemplum"[45]). Permissum nempe a Tiberio. Verumtamen Asiae civitates exemplo minime indigebant, quippe quarum complures jam multos ante annos et Caesari et Augusto templa consecrassent omniumque honorum specimina illis splendida prae-

---

43) *Ἀρχιερεὺς τοῦ αὐτοκράτορος* in serioris aetatis inscriptionibus frequentissimus nonnunquam eandem paene quam *νεωκόρος* significationem habere videtur. Occupare hic seriores hujus generis titulos placet: *Ἱερεὺς Καίσαρος, ἀρχιερεὺς τῶν Σεβαστῶν* (M. Aurelii et L. Veri, ut videtur): Boeckh. C. I. n. 1162. 1357. 2720. *Ἀρχιερατεύσαντα τοῦ αὐτοκράτορος*, n. 2766; — *ἱερατεύσαντα θεοῦ Τίτου*, n. 2771, 2. *Ἀρχιερεὺς τοῦ Σεβαστοῦ καὶ τῶν θείων προγόνων αὐτοῦ*, n. 1363. 1364. 1375. *Ἱερέα γενόμενον θεᾶς Ἀφροδείτης καὶ θεῶν Σεβαστῶν ἀμεριμνίας*, n. 2778. — *Ἱερατεύσασαν θεᾶς Ἰουλίας νέας Δήμητρας*, n. 2815. *Ἱερατεύσασαν τῶν Σεβαστῶν ἐκ δευτέρου κτλ.*, n. 2820, B. — *Ἱερατεία θεοῦ Νέρβα* in lapide Aphrodisiensi C. I. n. 277, 1. Alia multa exempla afferri possunt. — Quum summorum deorum nomina imperatoribus tribuerentur, ut supra vidimus, non mirum, sed plane consentaneum, sacerdotes etiam iis esse constitutos.

44) De honoribus defuncto Augusto a senatu decretis cf. Dio Cass. LVII, 9. 10. Herodianus IV, 2, 1. apotheosin sive consecrationem interpretatur ita: *ἔθος γάρ ἐστι Ῥωμαίοις ἐκθειάζειν βασιλέων τοὺς ἐπὶ διαδόχοις παισὶ τελευτήσαντας· τήν τε τοιαύτην τελετὴν ἀποθέωσιν καλοῦσι· μεμιγμένον δέ τι πένθος ἑορτῇ καὶ θρησκείᾳ κατὰ πᾶσαν τὴν πόλιν δείκνυται κτλ.* Consecrationem Augusti pulcherrime adumbratam gemma maximi moduli in thesauro Parisino conservata exhibet. In nummis saepius imperatoris alicujus consecratio cernitur. Gemma illustris thesauri Vindobonensis triumphum potius quam consecrationem exhibet.

45) Annal. I, 78.

buissent. Hinc idem historiarum scriptor postea retulit ipse: „Hispaniam ulteriorem missis ad senatum legatis orasse: ut *exemplo Asiae* delubrum Tiberio matrique ejus exstrueret," quod imperator haud concessit[46]). Augusto defuncto ab ipso senatu Romae summi honores decreti atque habiti[47]). Quid mirum, provincias Tiberii voluntate intellecta, iisdem studiis ejus animum sibi devinciendum putasse? Nonne Tacitus grave nobis testimonium reliquit, sub eodem imperatore incuriam caerimoniarum divi Augusti jam pro crimine esse habitam[48])? Nam praeter alia Cyzicenis illa etiam negligentia objecta effecit, ut libertatem, virtutis egregiae mercedem bello Mithridatico partam, amitterent[48b]). Tiberius enim non tam pietate quam prudentia divi Augusti honoribus et augendis et conservandis ubique prospexit atque ipse apud Nolam ei templum dedicavit[49]). Initio quidem imperii sui Tiberius iis in rebus, quae ad majestatis crimen referri solebant vel poterant, minime crudelis videri voluit atque ejusmodi accusationibus in senatu saepius est adversatus[50]). Quo diligentior idem in tuendis patris de-

---

46) Annal. IV, 37.

47) Dio Cass. LVII, 33. Templum Augusti Romae Plin. XXXIV, c. 18. memorat, sine dubio non vivo, sed defuncto excitatum. Cf. Tac. Ann. I, 11. Seriore aetate senatus ipse ad talia decernenda maxime proclivis. Tacit Ann. XV, 74 refert: „Cerealem Anicium (Nerone imperante), consulem designatum, pro sententia dixisse, ut templum D. Neroni quam maturrime publica pecunia poneretur." Dio Cass. LIX, 28 de Gajo Caligula: *τότε δὲ ἐπὶ πλέον ἐξήχθη, ὥστε καὶ ἐν αὐτῇ τῇ Ῥώμῃ ναὸν ἑαυτοῦ, τὸν μὲν ὑπὸ τῆς βουλῆς ψηφισθέντα, τὸν δὲ ἰδίᾳ ἐν τῷ παλατίῳ ποιήσασθαι*: quae verba tamen uncis inclusa.

48) Tacit. Ann. IV, 36.

48b) Libertatem Cyzicenorum illo bello meritam Strabo etiam (XII, 8, 576) testatur: *Ῥωμαῖοι δ' ἐτίμησαν τὴν πόλιν· καί ἐστιν ἐλευθέρα μέχρι νῦν καὶ χώραν ἔχει πολλὴν τὴν μὲν ἐκ παλαιοῦ, τὴν δὲ τῶν Ῥωμαίων προςθέντων.*

49) Tacit. Ann. IV, 57.

50) Tacit. Ann. III, 32.: „Deprecatus primo senatum, ne majestatis crimina tractarentur." In provinciis tamen nihilominus crimina majestatis haud raro crudeliter sunt agitata. Philostrat. vit. Apoll. Tyan. I, 15, p. 18. Olear: *„καίτοι προςκείμενον τοῖς βασιλείοις ἀνδριάσι, οἱ καὶ τοῦ Διὸς τοῦ ἐν Ὀλυμπίᾳ φοβερώτεροι τότε καὶ ἀσυλότεροι ἦσαν, Τιβερίου γε ὄντες, ἐφ' οὗ λέγεταί τις ἀσεβῆσαι δόξαι, τυπτήσας τὸν ἑαυτοῦ δοῦλον φέ-*

functi honoribus et caerimoniis quasi sacrosanctis, eo abstinentior in hujusmodi ornamentis sibimet ipsi oblatis. Templi sibi dedicandi veniam semel tantum dedit, eamque dedisse ipsum poenituit, quod ex oratione ejus in senatu habita intelligitur. Excusat nempe sese apud Patres, quod Asiae civitatibus idem petentibus non sit adversatus (de quo infra dicemus), pergitque ita: „Ceterum ut semel recepisse veniam habuerit, ita per omnes provincias effigie numinum sacrari, ambitiosum, superbum, et vanescet Augusti honor, si promiscuis adulationibus vulgatur" etc. Quae omnis oratio temperanter sapienterque dictorum plena lectu est dignissima[51]). Honestum enim ille quam maxime intellexit, nonnunquam amavit vel amare videri voluit, ingenio tamen recondito ad prava in dies procliviori[52]). — Tiberio igitur nulla alia templa in provinciis

---

ροντα δραχμὴν ἀργυρᾶν, νενομισμένην ἐς Τιβέριον, (*προςελθὼν οὖν τῷ ἄρχοντι κτλ.*). Lepida exempla periculi hanc ob caussam imminentis Augusto et Tiberio imperantibus refert Seneca de benef. III, 26. 27. De Caracalli tempore Ael. Spartian. vit. Caracalli c. 5, p. 715. Scr. Hist. Aug. ed. Lugd. Bat. 1671.: „Damnati sunt eo tempore, qui urinam in eo loco fecerunt, in quo statuae aut imagines erant principis et qui coronas imaginibus ejus detraxerant, ut alias ponerent."

51) Tac. Ann. IV, 37. 38. *Θεὸν Σεβαστὸν* tamen Tiberium Pergameni in nummis, Mytilenenses in lapidibus appellarunt: Mionnet T. II, p. 595. Boeckh. Corp. Inscr. n. 2177.

52) Operae pretium tamen de hujus temporis moribus, de senatu maxime Taciti verba in medium proferre (Ann. III, 65.): Ceterum tempora illa adeo infecta et adulatione sordida fuere, ut non modo primores civitatis, quibus claritudo sua obsequiis protegenda erat, sed omnes consulares, magna pars eorum, qui praetura functi, multique etiam pedarii senatores certatim exsurgerent foedaque et nimia censerent. Memoriae proditur, Tiberium, quotiens curia egrederetur, Graecis verbis in hunc modum eloqui solitum, o homines ad servitutem paratos! scilicet etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam projectae servientium patientiae taedebat." Libr. IV, c. 74. haec retulit: neque senatus in eo cura, an imperii extrema dehonestarentur: pavor internus occupaverat animos, cui remedium adulatione quaerebatur. Ita, quamquam diversis super rebus consulerentur, „aram Clementiae, aram Amicitiae effigiesque circum Caesaris ac Sejani censuere: crebrisque precibus efflagitabant, visendi sui copiam facerent.

erecta esse videntur, praeter unum illud Smyrnensibus concessum[53]).

Prorsus aliam viam Gajus Caligula, cui nec sanctum quidquam nec inviolabile, qui divina humanis plane commiscuit, ingressus est, de quo Dio Cassius haec refert: „*Γάϊος δὲ ἐν τῇ Ἀσίᾳ τῷ ἔθνει τέμενός τε ἑαυτῷ ἐν Μιλήτῳ τεμενίσαι ἐκέλευσε· ταύτην γὰρ τὴν πόλιν ἐπελέξατο, λόγῳ μὲν εἰπών, ὅτι τὴν μὲν Ἔφεσον ἡ Ἄρτεμις, τὴν δὲ Πέργαμον ὁ Αὔγουστος, τὴν δὲ Σμύρναν ὁ Τιβέριος προκατειλήφασι· τὸ δὲ ἀληθές, ὅτι τὸν νεών, ὃν οἱ Μιλήσιοι τῷ Ἀπόλλωνι καὶ μέγαν καὶ ὑπερκαλλῆ ἐποίουν, ἰδιώσασθαι ἐπεθύμησε*“[54]). Quae verba nos praeterea docent, Caligula imperante, nondum nec Ephesios nec Milesios in neocoris *imperatorum* esse habitos, quamquam supra e Dione Cassio didicimus, Augustum Ephesiis templum urbis Romae et Iulii Caesaris commune ut excitarent concessisse. Itaque Pergameni tantum atque Smyrnenses a Dione neocori imperatorii, ut ita dicam, nuncupantur, quum illis Augustum, his Tiberium templo consecrato adorare esset permissum. —

Verumtamen antequam in his enarrandis pergamus, nummorum lapidumque inscriptorum testimonia respiciamus quaeramusque, quando Pergameni revera Augusti neocori hujus honoris titulum in nummis ostentare inceperint. *ΙЄΡΑ CΥΝΚΛΗΤΟC. ΘЄΟC. CΥΝΚΛΗΤΟC. ΘЄΑ ΡΩΜΗ.* republica Romanorum adhuc florente in Pergamenis saepissime inscripta

53) De caussa hujus templi erigendi Tacitus haec refert, Ann. IV, 15.: „Ob quam ultionem, et quia priore anno in C. Silanum vindicatum erat, decrevere Asiae urbes templum Tiberio matrique ejus ac senatui.“ De Tiberio Dio Cass. LVII, 9.: *ταῦτά τε οὖν δημοτικῶς διῴκει· καὶ ὅτι οὔτε τεμένισμα αὐτῷ οὐχ ὅπως αὐθαίρετον, ἀλλ' οὐδ' ἄλλως τότε γε ἐτεμενίσθη· οὔτε εἰκόνα ἐξῆν αὐτῷ οὐδενὶ στῆσαι· ἄντικρυς γὰρ παραχρῆμα ἀπαγόρευσε, μήτε πόλει μήτ' ἰδιώτῃ τοῦτο ποιεῖν.*

54) Libr. LIX, 28. (Quamquam ab editoribus haec verba uncis sint inclusa. Quidquid de iis statueris, veteris tamen interpretis additamenta sint necesse est.) Templum illud celeberrimum erat decastylon hypaethron. Cf. Hirt. doctr. aedif. p. 19.

reperiuntur[55]). — Quod quidem minime mirum, si Attalorum amicitiam mature cum Romanis junctam fideliterque servatam, si dicionem auctam, concessa Pergamenis privilegia, si Romanos denique regni Pergameni heredes recordari velimus. Quin mirum potius, non Pergamenos, sed Smyrnenses fuisse primos, quibus in mentem veniret, urbis Romae templum aedificare[56]). Sine dubio veteris illius amicitiae ratione habita Augustus Pergamenis permiserat, ut urbi Romae et sibimet ipsi templum commune erigerent, quod jam supra expositum. Eorum nummi tamen Augusto imperante cusi nullum praebent neocoriae signum, quamquam *ΘЄΟΝ CЄΒΑCΤΟΝ ΠЄΡΓΑΜΗΝΟΙ* inscripti atque imperatorem in templo erectum stantem ostentantes[57]). In aliis eorum nummis *ΛΙΒΙΑΝ ΗΡΑΝ.* et *ΙΟΥΛΙΑΝ. ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ* reperimus[58]). Quae quum ita sint, non possumus non mirari, quod Mionnetus, in nummis tractandis maxime versatus, unum Pergamenorum nummum primo latere *ΙЄΡΑ CΥΝΚΛΗΤΟC*, altero *ΠЄΡΓΑΜΗΝΩΝ Γ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ* inscriptum ante Augustum imperatorem putaverit collocandum[59]). Nam quum nummi sub Augusto cusi ne primae quidem neocoriae per simplex *ΝЄΩΚ.* significatae vestigium praebeant (licet magna eorum copia nobis sit servata), quo tandem modo tertia

55) Cf. Mionnet T. II, p. 519, n. 493. p. 593, n. 538 et all. locc. — De aetate, qua littera C (sigma lunatum) in nummis usurpari coeperit, nolo hic fusius disserere. Hoc tamen certum, Spanhemium (de praest. et us. numm. I, 9, 585 seq.) errasse, qui Domitiani demum tempore illam usu receptam nummisque putaverit esse inscriptam, quum in nummis illam permultis uno duobusve saeculis ante cusis saepissime adhibitam reperiamus, si quidem typis Mionneti aliorumque non prorsus omnis fides deroganda, quod nemo facere ausit. Ceterum distinguendae sunt Asiae et Graeciae veteris civitates. Apud illas nempe maturius quam apud has eam litteram invenimus. Ni fallor, Boeckhius etiam in Corp. Inscr. (non memini quo loco) de hac littera breviter disseruit.

56) Amicitia quidem Attalorum paullo serius cum Romanis erat juncta, Antiocho nempe bellum moliente. Mirum tamen, Pergamenos Smyrnensium exemplum non maturius sibi ad imitationem proposuisse.

57) Mionnet T. II, p. 594, n. 591. Suppl. T. V, p. 426 seq.

58) Mionnet l. c. p. 594, n. 542.

59) Mionnet T. II, p. 592, n. 528.

neocoria ejusdem civitatis ante illius imperium locum habere poterit? Quodsi Pergameni, ut Smyrnenses et Alabandenses, urbi Romae antiquitus, h. e. ante imperatorum aetatem, templum consecrassent, ille nummus haberet certe aliquam probabilitatis speciem, quamquam incertam ac lubricam, quoad ternarium neocoriae numerum (*Γ.*) [60]). Itaque eum nummum seriori aetati adscribendum censemus. In universum magnopere dubitaverim, an ulla neocoria ista notione ac significatione, quae inde ab Augusti imperio obtinuit, nempe ut totae civitates imperatoris alicujus neocoras sive aedituas sese designarent, ante illius principatum jam in usum recipi coeperit. Ex nummis enim lapidibusque inscriptis nullum certum testimonium derivari potest, nec illam obtinuisse omnino verisimile videtur. — Erat sane adhuc divini humanique cultus discrimen quoddam atque pudor quidam animis ex pristino tempore reservatus, credo, senatum ipsum commovisset, ut illud provinciarum studium (si prius effloruisset) et improbaret et compesceret. Nam multum profecto interest, num urbi victrici ejusve genio, an homini imperanti templum statuas. Quum illud senatus facile concederet, hoc sine dubio impedivisset. — Verum enim vero posteaquam principes pessimi reipublicae Romanae gubernaculum capessiverant, ille pudor paullatim evanuit atque Romae senatus ipse, augustissimum olim patrum concilium, ad sordidam delapsus est adulationem. — In Pergamenis nummis certum neocoriae documentum ante Antoninum Pium non reperitur, quum nummi hujus imperatoris nomine inscripti et primam et secundam illius civitatis neocoriam luculenter testentur. Primae neocoriae solemnia ad Augusti templum referenda esse videntur, secundae ad Antoninum Pium [61]). Seriorem aetatem infra respiciemus.

---

60) Tum enim tertia neocoria quodammodo ita explicari posset, ut prima ad urbem Romam, altera ad senatum, tertia ad Caesarem dictatorem referretur. Attamen satis fidenter affirmare ausim, nullam omnino numeratam neocoriam ante imperatorum aetatem locum habuisse.

61) Mionnet Suppl. T. V, p. 438, n. 990. Lapides neocoria Pergamena inscriptos infra §. 12 commemorabimus.

§. 7.

Hinc ad alias civitates transituris Smyrna obvia, inter urbes Asianas post Ephesum facile princeps atque ab Aristide perinde ac Luciano καλλίστη τῶν Ἰωνικῶν πόλεων dicta[62]). Haec futuri sagax reliquisque intelligentior reipublicae Romanae robur ac potentiam in dies laetius efflorescentem mature perspexisse videtur, quippe quae templi urbi Romae statuendi consilium multis annis ante cepisset, quam reliquae Asiae civitates tale quidquam cogitare vel moliri essent ausae[63]). Hinc templi Tiberio consecrandi veniam a senatu, imperatore nempe permittente, eo facilius impetrarunt, quum decem aliae civitates eam ut adipiscerentur, legatis ad senatum missis, frustra operam dedissent[64]). Nihilominus ex ingenti nummorum Smyrnensium copia ne unus quidem comparet, qui neocoriae in urbis Romae honorem institutae certum quoddam atque luculentum non dicam testimonium, sed vestigium exhibeat[65]). Antiquissimi hujus civitatis nummi Prytanum nomina praebent inscripta, diversis, ut ubique, rerum hominumve imaginibus additis[66]). Complures illorum nummorum Mionnetus ante Augusti imperium cusos putavit, sive ut aperte dicam, quid rei sit, negligentia admirabili quadam ante Augustum collocavit, quorum aetas nimime recte est constituta. Unus eorum in sinistro latere inscriptus est titulo, qui post Augusti demum tempus usurpari coepit, nempe: *CMYPNAIΩN. ΠΡΩΤΩN. ACIAC*[67]): alter eorum haec habet: *CMYPNAIΩN. ΠΡ. ACIAC. Γ. NE. TΩN. CЄ.* (sc. *CЄ-*

---

62) Aristid. Orat. XIV, 646. XLII, p. 774 ed. Dind. Lucian. imagg. c. 2. —

63) Vide supra §. 4.

64) Tacit. Annal. IV, 55. 56.

65) De nummis nempe ante Augustum imperatorem cusis haec affirmo. De lapidibus Smyrnensium infra agetur.

66) Mionnet T. III, p. 189 seqq. Suppl. T. VI, p. 301 seqq. Unus illorum nummorum in altero latere *ΣMYPNAIΩN ΠPYTANEIΣ* exhibet, qui a Mionneto inter rarissimos numeratus mille francorum pretio aestimatus est. Descr. d. med. T. III, l. c. p. 190.

67) Id. T. III, p. 42, n. 1173.

BACTΩN), qui sine omni dubitatione post Augusti aetatem est collocandus, quum neque *ΠΡΩΤ. AC.*, neque *Γ. NЄΩK.*, neque *TΩN. CЄBACT.* ante illius imperium locum habere potuerit[68]), *Γ. NЄ.* vero Caracalli potius quam Augusti imperio conveniat. — Tertius nummus *EΠ. C. ΦΙΛΗΤΟΥ. CMYP. Γ. NEΩ.* inscriptus et plures subsequentes eadem inscriptione insignes, quos omnes Mionnetus aetati ante Augustum imperantem attribuit[69]). Quibus nummis, quod fieri necesse, imperatorum tempori assignatis, affirmare possumus, neocoriae titulum nullis Smyrnensium nummis ante Augustum vel potius ante Tiberium esse impressum. Smyrna Tiberio templum consecraverat, revera igitur neocoriam instituerat, quamquam inter illos nummos sub Tiberio cusos, quos Mionnetus produxit, ne unus quidem conspicitur neocoriae titulo ornatus[70]). Quodsi jam ante Augustum imperantem Smyrnenses ea ratione, quae serius obtinuit, neocoriam usurpassent nummisque consignassent, profecto mirandum esset, plerasque Asiae civitates sub M. Aurelio demum, sub Sept. Severo, Caracalla, Alex. Severo, Gallieno, Aureliano, Salonina denique neocoriae honores expetivisse eosque esse adeptos. Immo sexcentis docemur nummis, sub his demum imperatoribus neocoriae instituendae studium fuisse ardentissimum atque civitates maximas et opulentissimas de neocoriae principatu haud mediocri contentione decertasse. Smyrnae nummos *ΘЄON CYNKΛΗΤΟΝ.*, *IЄPAN CYNKΛΗΤΟΝ. ΘЄAN. PΩMHN* inscriptos recte ante Augustum collocaveris. Ante Trajanum vero in nullis Smyrnensium nummis (quamquam multi ante illum cusi nobis servati) neocoriae signum deprehenditur. Eo demum imperante unus illorum nummus primam ostentat neocoriam (*CMYPNAIΩN. NЄΩKOPΩN*)[71]).

---

68) Mionnet T. III, p. 42, n. 1177.

69) Ibid. p. 214, n. 1185.

70) Ibid. Suppl. Tom. VI, p. 329 seq. In uno nummo ibid. p. 330, n. 1631. Tiberius in templo quattuor columnis ornato conspicitur. In uno latere *CЄBACTH CYNKΛΗΤΟC*, in altero *CЄBACTOC TIBЄPIOC.* —

71) Mionnet Suppl. T. VI, p. 340, n. 1687.

Sub Antonino Pio *CMYPNAIΩN. ΔIC. NЄΩKOPΩN* reperitur[72]), in quo nummo tria templa, quorum medium Ephesiae Dianae, conspiciuntur. Smyrnaei igitur sub Antonino Pio secundam impetrasse videntur neocoriam. Quodsi in Trajani honorem primam instituerant, apparet, illud templum Romae urbis antiquitus erectum non in censum venisse. — Antequam tamen eorum tertiam et quartam neocoriam illustremus, Ephesum respicere placet atque inquirere, quando ibi neocoria prima sit instituta. —

§. 8.

Dianae Ephesiae cultus erat antiquissimus totaque Asia maxime celebratus atque coloniis multis dimissis in plurimas propagatus regiones[73]). Hujus numinis, cujus imaginem in antiquissimis Ephesiorum nummis conspicimus, urbs illa quasi nutrix haberi voluit[74]). Quodsi de ulla Asiae civitate opinari nobis liceret, numinis eam tutelaris sui ac primarii neocoram sese dictitasse, de Epheso omnium primum illud foret statuendum, quae Dianam suam maximo et opulentissimo antiquitus colebat templo. Teste Herodoto Ephesii miram tutandae urbis rationem superstitionis ac fiduciae plenam commenti sunt, quum Croesus exercitu eam obsideret: „*Ἔνθα δὴ οἱ Ἐφέσιοι, πολιορκεόμενοι ὑπ' αὐτοῦ ἀνέθεσαν τὴν πόλιν τῇ Ἀρτέμιδι, ἐξάψαντες ἐκ τοῦ νηοῦ σχοινίον ἐς τὸ τεῖχος*“[75]). In nullis tamen

72) Ibid. p. 343, n. 1704.

73) Strab. IV, 1, 179. Casaub. Cognonima permulta huic deae erant addita, ut Diana Laphria Patrensium, Diana Leucophryne Magnesiae, utraque celeberrima, Diana Pergaea, quam Mytilenenses etiam in nummis suis adumbrandam putarunt. Cf. Mionnet T. II, p. 194. T. III, p. 51, n. 131. Cf. T. VII, Suppl. p. 59 seqq. De Epheso urbe ejusque dignitate cf. Aristid. *περὶ ὁμον.* Orat. XLII, p. 775 ed. Dind. — Dicit eam *ταμιεῖον κοινὸν τῆς Ἀσίας.* —

74) In titulo Ephesio apud Boeckh. Corp. Inscr. n. 2954 A. Ephesus *ἡ τροφὸς τῆς ἰδίας θεοῦ τῆς Ἐφεσίας* dicta. Nummos Ephesios ejus imagine insignes Mionnetus T. III, p. 84, n. 151 seq. praebet.

75) Herodot. I, 26. In nonnullis Ephesiorum nummis a Spanhemio de praest. et. usu numm. I, p. 641 allatis Diana Ephesia ita adumbrata

Ephesiorum nummis quos novimus antiquissimis neocoriae in ejus numinis honorem institutae signa vestigiave deprehenduntur, quum permulti sub imperatoribus cusi eam testentur, atque in actis etiam apostolorum haec urbs *νεωκόρος τῆς μεγάλης Θεᾶς Ἀρτέμιδος* appelletur[76]. Augustus quidem, ut supra narratum, Ephesiis permiserat, ut urbi Romae et divo Caesari templum commune consecrarent: verumtamen, quod maxime mirum, ne hanc quidem neocoriam nummi superstites ullo modo significant. Hinc conjicere licet, quod Pergamenorum, Smyrnensium, Ephesiorum nummi egregie confirmant, sub Augusto quidem imperatorum neocoriam (h. e. divinum imperatoris adhuc vivi cultum templis, sacrificiis, ludis etc. celebratum) institutam, nondum tamen in nummis lapidibusque inscriptis consignari solitam esse aut rarissime. Primam neocoriam Ephesii Nerone demum imperante nummis inscripserunt (*NEPΩN. KAI-ΣAP — — — — EΦ. NEΩKOPΩN*), in quibus templum transversa parte adumbratum conspicitur[77]. — Hadriano imperii clavum tenente secunda neocoria in Ephesiorum nummis comparet *ΔIC. NЄΩKOPΩN* inscriptis, quibus templum octo columnis circumdatum est adjectum[78]. Quam secundam neocoriam lapides etiam testantur his verbis: *Ἡ φιλοσέβαστος Ἐφεσίων βουλὴ καὶ ὁ νεωκόρος δὶς δῆμος καθιέρωσαν κτλ.*[79]), in quo titulo senatus et populus ita discernuntur, ut populo tantum neocoria tribuatur, non senatui, quamquam *φιλοσέβαστος* appellato. Verisimile igitur, illud Ephesiorum senatum

conspicitur, ut utraque manu catenam deorsum porrectam tenere videatur, quam attingunt imperatores Romani M. Aurelius et Luc. Verus utrimque numini adstantes. Equidem tamen de illis nummis atque de catenis adumbratis, quas alii pro fulcris habuerunt, nihil affirmare ausim. Conf. Holstenius epist. de fulcris s. verubus Dianae Ephesiae.

76) Cap. XIX, 35. Ephesiorum scriba nempe hoc loco exclamat: *τίς γάρ ἐστιν ἄνθρωπος, ὃς οὐ γινώσκει τὴν Ἐφεσίων πόλιν νεωκόρον οὖσαν τῆς μεγάλης Θεᾶς Ἀρτέμιδος*; De Dianae sacerdote neocoro a Xenophonte memorato infra §. 14.

77) Mionnet T. III, p. 93, n. 253. al.

78) Mionnet ibid. n. 388.

79) Boeckh. C. Inscr. n. 2965. Eodem modo sequens titulus n. 2966.

curasse immutandum in aliis titulis, ne ipse neocoriae officii atque dignitatis prorsus expers videretur neve imperatorem forte offenderet. Alius certe titulus omnem civitatem designat neocoram: *Ἐφεσίων πόλεως δὶς νεωκόρου τῶν Σεβαστῶν ἡ φιλοσέβαστος βουλὴ καὶ ὁ δῆμος καθιέρωσαν κτλ.*[80]). Serior titulus sub Sept. Severo exaratus tertiam Ephesiorum testatur neocoriam his verbis conceptus: *Τῆς πρώτης καὶ μεγίστης μητροπόλεως τῆς Ἀσίας καὶ τρὶς νεωκόρων τῶν Σεβαστῶν μόνων ἁπασῶν δὲ τῆς Ἀρτέμιδος Ἐφεσίων πόλεως ἡ βουλὴ καὶ ὁ νεωκόρος δῆμος καθιέρωσαν κτλ.*, lacunis nempe a Boeckhio ita completis[81]). Dianae Ephesiae neocoriam ibi cum imperatorum tertia videmus conjunctam, quod in compluribus aliis nummis factum. Quod ad harum neocoriarum ordinem attinet, dubitare licet, num illa neocoria sub Nerone consignata, utpote prima persimplex *ΝЄΩΚ.* declarata ad Augustum ejusque templum, an ad Neronem sit referenda. Quum Nero tamen ab Augusti domo esset oriundus, pro certo habendum, illam primam Augusti neocoriam sine periculo non potuisse negligi eamque ipsam Ephesiorum nummis Nerone imperante esse inscriptam. Quae quum ita sint, mirari licet, per tot annos, tot principibus inde ab Augusto ad Hadrianum usque imperio admotis, nullam novam neocoriam esse institutam. Verumtamen quum nec in aliis civitatibus per hoc temporis intervallum neocoria nisi rarissime appareat, verisimile, provincias civitatesque tum principum Romanorum flagitiis atque sceleribus, tum bellorum civilium incerto eventu nec non miseriis ab eo divino honore illis offerendo esse deterritas. Ceteroquin jam supra demonstravi, ferventissimum neocoriae celebrandae studium in provinciis inde ab Antoninis demum ordiri, quod et nummi et lapides inscripti testantur. Ab Hadriano fortasse praesente Ephesii novam neocoriam impetrarunt, quae utpote secunda

---

80) Boeckh. C. I. n. 2968.

81) Ibid. N. 2972. Sequentes tituli n. 2977. 2990. 2992. 2993. dubito, num ad secundam tertiamve neocoriam sint referendi. — *Δῆμος νεωκ.* in aliarum etiam civitatium nummis reperitur, ut *δῆμος φιλαδελφ. νεωκ.* apud Mionnet. T. VI, p. 327, n. 1619.

in nummis sub sequentibus imperatoribus cusis saepissime redit (*ΕΦΕCΙΩΝ. ΔΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ*), Diana Ephesia in templo octo columnis ornato adumbrata, additis imperatorum capitibus, ut Hadriani et Aelii[82]. — Ad Ephesios tamen redibimus, quum de neocoriarum numero in nummis lapidibusque inscriptis designato nobis erit disserendum. — Nunc quidem Miletum consideremus videamusque, quando imperatorum neocoriam admiserit, quum haec sit quarta earum urbium, quas Caligula enumeravit, ut ùnam ex iis templi sibimet ipsi consecrandi sedem eligeret. Dio Cassius nos edocuit, Caligulam id agitasse, ut templum maximum ac splendidissimum, quod Milesii utpote satis opulenti Apollini Didymaeo apud eos sanctissime culto dudum erexerant, sed nondum plane perfecerant, sibi vindicaret. Quod aut hujus truculenti tyranni matura nece atque Milesiorum cunctatione aut aliam ob caussam impeditum esse, Milesiorum nummi conjicere jubent, Apollinem Didymaeum ejusque templum ostentantes (*ΜΙΛΗΣΙΩΝ. ΔΙΔΥΜΕΥΣ* aut ordine inverso *ΔΙΔΥΜΕΥΣ ΜΙΛΗΣΙΩΝ*)[83]. — Quando Milesii primam neocoriam sint adepti, plane nescimus, quum ex nummis certum argumentum nullum repeti possit aliisque documentis destituamur. Secundam neocoriam Elagabalo imperante obtinuerunt, testibus nummis[84]. Tertia neocoria quum in eorum nummis haud compareat, eam aut non concupivisse aut non impetrasse videntur. Simplex vel prima eorum neocoria sero in Pupieni atque Gordiani nummis redit[85]. Haec quidem neocoriarum initia luculenta in quattuor illis Asiae civitatibus celeberrimus,

---

82) Mionnet T. III, p. 97, n. 281, p. 98 seqq.

83) Mionnet T. III, p. 167, n. 774. Suppl. T. VI, p. 272, n. 1245. Templum Apollinis Didymaei amplissimum et splendidissimum, postquam Darius vetus Branchidarum templum combusserat, excitari coeptum, sed nunquam prorsus ad finem perductum. Strab. XIV, 1, 634. Cas. *διέμεινε δὲ χωρὶς ὀροφῆς διὰ τὸ μέγεθος.* Cf. Paus. VII, 5, 2. et Hirt. hist. archit. T. II, p. 62. Hodie ingens saxorum cumulus locum hujus templi celeberrimi indicat.

84) Mionnet T. III, p. 172, n. 801. — Altero latere . . . . *ΤΩΝ. CЄΒ. ΜΙΛΗCΙΩΝ. ΔΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ.*

85) Mionnet T. III, p. 173, n. 805. Suppl. T. VI, p. 280, n. 1287.

cum quibus aliquando septem aliae Romae in senatu de dignitatis principatu seu de praerogativa contenderunt, nempe de venia templi Tiberio erigendi impetranda, quae, ut supra memoratum, Smyrnensibus concessa. Septem illae civitates erant Halicarnassus, Sardes, Tralles, Laodicea, Magnesia, Ilium, Hypaepa[86], quarum quinque subsequente tempore neocoriam impetraverunt: Halicarnassus sub Caracallo[87], Sardes jam Hadriani aetate[88], Tralles Lydiae sub Caracallo[89], Laodicea Phrygiae Sept. Severo imperante[90], Magnesia Ioniae Ephesum imitata neocoram Dianae Leucophrynae sese ostentat in nummis sub Alex. Severo signatis[91]. Hypaepa vero templi imperatori alicui dedicandi veniam aut non denuo ambiisse aut non obtinuisse videtur, quamquam ex magna nummorum copia conjicere liceat, eam haud contemnendam fuisse civitatem[92]. Ilium vero quod attinet, quamquam multi ejus nummi superstites[93], quamquam Iul. Caesar Iuliae gentis originem hinc derivandam simulavit Antoniusque pro impudentia sua in Romanorum concione affirmare non erubuit[94], imperatorum tamen neocoriam nullam videtur celebrasse, sive alia caussa, sive opum tenuitate impeditam, quum ad illa solemnia rite subeunda haud mediocris sumptus requireretur. Nam quod templi Tiberio erigendi veniam expetivit, non tam opulentiam, quam benevolentiae captandae studium testatur[95]. Iste vero Iliensium num-

86) Tacit. Annal. IV, 55.

87) Mionnet Suppl. T. VI, p. 499, n. 314.

88) Id. T. IV, p. 126. — Nummos enim *CAPΔIANΩN. NЄΩKOPΩN.* et *CAPΔIANΩN B. NЄΩKOPΩN,* quos Mionnet Suppl. T. VII, p. 415 seq. ante Augustum imperantem collocavit, seriori aetati attribuendos censeo.

89) Mionnet T. IV, p. 189. Suppl. T. VII, 474, n. 733.

90) Id. Suppl. T. VII, p. 587, n. 458.

91) Ibid. T. III, p. 146, n. 628. Suppl. T. VI, p. 247, n. 1082.

92) Ibid. T. IV, p. 51 seqq. Suppl. T. VII, p. 356 seqq.

93) Ibid. T. II, p. 657 seqq. Suppl. T. V, p. 555 seqq.

94) Dio Cass. XXXXIV, 37.

95) Erant praeterea utilitates cum templi erigendi venia, h. e. neocoria, conjunctae, quas respicere poterant Ilienses.

mus, quem Vandalius in medium protulit, in uno quidem latere *ΙΛΙΕΩΝ ΔΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ*, in altero *Γ. ΙΟΥΛΙΟΥ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟC* inscriptus, ut ille contendit, a Mionneto, locupletissimo nummorum veterum editore, nusquam commemoratur, neque alius Iliensium nummus apud eundem cum ullo neocoriae signo reperitur[96]). Itaque verisimile, Vandalium et ipsum elusum et nimis credulum cum Rubenio suo alios elusisse. Ceterum inscriptio *Γ. ΙΟΥΛΙΟΥ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟC* admodum suspecta, inusitata certe nec in aliarum civitatium nummis mihi fuit obvia. Nec putaverim, Iul. Caesarem ita se appellari facile passum esse, quum regiae potestatis speciem ubique vitaret atque detrectaret[97]). Illum igitur nummum ut dubium ac suspectum in medio relinquendum atque rei nummariae peritis denuo manu tractandum dijudicandumque existimo.

Praeter illas undecim urbes de templi jure ac praerogativa apud senatum in certamen missas subsequente tempore multa alia oppida neocoriam impetraverunt nummisque inscripserunt, quorum praecipua enumerare operae pretium.

§. 9.

Primum Nicaea et Nicomedia, primaria Bithyniae Pontique oppida, maxime digna quae respiciantur, quum magna nummorum ab illis cusorum copia nobis sit conservata. Sicut Ephesiis, ita Nicaeensibus Augustus permiserat, ut ibi cives Romani urbi Romae et divo Caesari templum commune erigerent atque neocoriam instituerent, ut supra (§. 4.) expositum. Nummi tamen, quos Nicaea cuderat, conservati neque templum ostendunt (ut multi alii), neque ulla neocoriae vestigia exhibent[98]), quamquam Roma Nicephora, Caesaris Augustique caput in non-

96) Vand. Diss. IX, p. 312. Mionnet. T. II, p. 657. Suppl. T. V, p. 555 seqq. Ilienses nummos descripsit.

97) In nummis Pergamenis reperitur *CЄΒΑCΤΩΙ. ΚΑΙCΑΡΙ. ΒΟΥΛΑΙΩ*, addito Augusti Caesaris capite laurea redimito: Mionnet T. II, p. 594, n. 538. Ex quo apparet, Augustum potius ut senatorem quam ut imperatorem salutari voluisse.

98) Mionnet T. II, p. 450 seqq.

nullis cernuntur[99]). Apparet hinc etiam, quod supra haud temere statuimus, neocoriam illam, quam discriminis caussa *imperatoriam* dicamus, quamquam Augusto imperante usu jam receptam, tamen ea significatione, quae sub sequentibus imperatoribus maxime obtinuit invaluitque, nondum fuisse ita usitatam ubique atque propagatam, ut nummis jam lapidibusque inscriptis consignaretur. — In universum Nicaea, quamquam urbs maxima illiusque regionis opulentissima, cujus cives sese in nummis *ΠΡΩΤΟΥC ΤΗC ΕΠΑΡΧΙΑC* et *ΜЄΓΙCΤΟΥC. ΑΡΙCΤΟΥC. ΝΙΚΑΙЄΙC* praedicabant[1]), nullis tamen nummis per omnem imperatorum aetatem neocoriae titulum inscripsisse videtur. Nam ne illi quidem nummi superstites, qui inde ab Antonino Pio cusi, tituli hujus ullum praebent testimonium[2]), quum ludos solemnes, qui ubique fere neocoriarum satellites (*ΙЄΡΟC. ΑΓΩΝ.*, — et *ΚΟΜΟΔЄΙΑ, CЄΟΥΗΡΕΙΑ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ*) saepius in iis designatos videamus[3]). Miraculi instar itaque nummus iste, qui *ΝΙΚΑΙΕΩΝ. ΤΕΤΡΑΚΙ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ* inscriptus fertur, quem Vandalius, auctorem Harduinum professus, quasi genuinum, sub Elagabalo cusum, sine omni dubitatione exhibuit[4]). Atqui si reputamus, quae Eckhelius de nummis adulterinis docuit, qui a superioribus rei nummariae scriptoribus pro genuinis sint habiti atque editi; illum nummum profecto non possumus non pro suspecto habere, nisi error forte aut in commutato civitatis nomine aut alio modo

---

99) Ibid. Suppl. T. V, p. 78. T. II, p. 450, n. 208. Roma super arma sedens, in dextra hastam, in sinistra Victoriam tenens, *ΡΩΜΗ* inscripta: ibid.

1) Ibid. T. II, 451 seqq. Suppl. T. V, p. 85 seqq.

2) Cf. Mionnet ll. cc.

3) Ibid. T. II, p. 456 seqq. p. 463. *Διονύσια*, *Πύθια*. Cf. Suppl. T. V, p. 125 seqq. Ibid. p. 144, n. 832. *Ἀσκλήπια*, p. 151, n. 877.: *ΝΙΚΑΙΩΝ. ΑΥΓΟΥCΤΙΑ. CЄΟΥΗΡΙΑ*. p. 158, n. 922.: *ΚΕΝΔΡΕCΕΙΑ. ΠΥΘΙΑ. ΝΙΚΑΙΕΩΝ*. De quibus infra §. 19.

4) Diss. IV, p. 315 seqq. Pelleriuius etiam Rec. d. med. d. peupl. et d. vill. T. II, p. 287. 288. annotavit: „Le P. Harduin rapporte une médaille d'Elagabale avec la légende *ΝΙΚ. ΤΕΤΡ. ΝЄ.*, mais on n'en connaît point, où cette ville ait pris en aucune façon le titre de Néocore."

sit commissus [5]). Omnium civitatium certe, quae tertia et quarta neocoria excelluerunt, plurimos habemus nummos prima et secunda inscriptos. Quarta neocoria perpaucae civitates erant ornatae, quae quidem permultos nobis reliquerunt nummos tertiae titulo inscriptos, de quibus infra accuratius exponemus [6]). Nicaeensium vero nullum alium nummum ullo neocoriae vestigio vidimus insignitum.

Prorsus alia Nicomedensium ratio. Bithyni ab Augusto veniam templi Nicomediae erigendi atque huic imperatori urbique Romae dedicandi impetraverant. Nihilominus nummi Nicomedenses, quorum ingens numerus superstes, M. Aurelio demum imperante celebrata neocoriae primae solemnia rite testantur [7]). Quid ergo? Nonne hinc novum lucramur testimonium, Augusto imperante neocoriam in nummis nondum fuisse usitatam, licet re ipsa, templo nempe imperatori consecrato, dudum institutam? Sub Commodo *ΔΙC. ΝЄΩΚ.* in Nicomedensium nummis reperitur [8]), quam secundam neocoriam ad ipsum Commodum pertinuisse, e Dione Cassio discimus, qui huic imperatori templum Nicomediae excitatum esse testatur [9]). Caracallo imperante Nicomedenses *ΤΡΙC. ΝЄΩΚΟΡΟΙ* dicuntur [10]). In nummis Plautillae atque Getae secundae neocoriae titulus redit [11]). Sub Elagabalo *ΔΙC*, deinde rursus *ΤΡΙC*, in Maesae nummis denuo

---

5) Cf. Eckh. Prolegom. §. de numm. adult. Lips. 1842. Doctrin. numm. T. IV, p. 294 haec monet: „Si libuisset sinceram meam mercem inquinare exemplis aliis, quae sive Goltzii fraudes, sive iniqua Occonis aliorumque praeconia parturivere.“ Cf. Vaillant du titre de néocore dans l. méd. Gr. Mem. de l'acad. d. inscr. T. II, p. 207.

6) V. §. 10. Ex illis civitatibus Milesii sunt excipiendi, quorum primam neocoriam nummi non testantur, quum secunda plurimis sit inscripta. V. supra §. 8.

7) Mionnet T. II, p. 470, n. 328. *ΝΕΙΚΟΜΗ. ΜΗΤ. ΝΕΩΚ.* Sic n. 330 in nummo Faustinae nomine insignito. Fortasse primam neocoriam jam sub Hadriano impetraverant. In lapide inscripto certe Nicomedia *Ἀδριανή* nuncupatur. Boeckh. C. Inscript. n. 3771.

8) Mionnet T. II, p. 471, n. 335 seqq.

9) Libr. LXXII, 12.

10) Mionnet T. II, p. 473, n. 347.

11) T. II, p. 474, n. 348. 349.

ΔIC ΝЄΩΚ. inveniuntur [12]). Severo Alexandro imperii habenas tenente, hujus civitatis nummi *ΔIC* et *TPIC ΝЄ.* promiscue ostendunt [13]), quamquam secundae neocoriae titulo frequentiore quam tertiae. — Inscriptiones lapidum Nicomedensium infra commemorabimus.

Praeterea multa Phrygiae, Lydiae, Mysiae, Galatiae, Lyciae, Pamphyliae, Ciliciae, Syriae oppida nummos neocoriae notis insignes cudendos curarunt, quorum maxima copia in nummorum veterum thesauris conservatur. Hierapolis Phrygiae, magna urbs et opulenta, quae amicitiam (*OMONOIAN*) cum Sardibus, Epheso aliisque civitatibus primariis junctam in nummis testatur, si Mionneto vel potius nummorum ordini ab eo exhibito fidem habere velimus, jam ante Augustum imperantem neocoriam erat adepta, quum editor ille celeberrimus complures ejus oppidi nummos *ΝЄΩΚΟΡΩΝ* titulo inscriptos ante hujus principis imperium collocare haud dubitaverit [14]). Atqui hic denuo in lubricam illam implicitamque disquisitionem incidimus, quum omnes subsequentes hujus oppidi nummi inde ab Augusto ad Caracallum usque plane nullam neocoriae significationem nobis exhibeant. Caracallo demum imperante certa neocoriae signa deprehenduntur [15]). Mionnetus quidem illos nummos ante Augustum collocasse videtur, quia nullo imperatoris capite ornantur. Verumtamen haec caussa minime sufficit. Poterant enim illi nummi eo tempore cudi, quo plures de principatu contenderunt, e. c. Othone, Vitellio, Vespasiano bella civilia serentibus, aut Sept. Severo cum Nigro et Albino de imperio dimicante, aut Caracallo interfecto, Macrino cum Elagabalo certante. Quidquid tamen de illis nummis statuendum sit, hoc certissimum, Mionnetum egregie errasse, quum nummos titulo

---

12) Mionnet T. II, p. 474 seqq. n. 352 seqq. Suppl. T. V, p. 203 seqq. n. 1202 seqq.

13) T. II, p. 475 seqq.

14) T. IV, p. 300, n. 603. 605. Suppl. T. VII, p. 568, n. 382.

15) Mionnet T. IV, p. 304. 627. 629. Stosch quidem, qui Antiquitatum Thyatirenarum libros duos scripsit (1763), has controversias minime ad liquidum perduxit. De ejus errore Libr. I, 7, 29 vide infra §. 14.

AKTIA insignes aetati ante Augustum imperantem adscripserit [16]). Actia enim ante Augusti victoriam navalem notissimam nulla commemorantur. Post primaria illa Actia in victoriae istius memoriam instituta multa eorum imitamina in civitatium diversarum nummis lapidibusque inscriptis reperiuntur. — Praeterea deus Lunus illis nummis additus ad seriorem aetatem pertinere mihi videtur [16b]).

Acmonia, Phrygiae oppidum, ab Alexandro Severo neocoriam adepta videtur [17]). Laodicea inde a Septimio Severo neocoriam auspicata, ut supra memoratum, in nummis senatus consultum ostentat (*Νεωκόρων δόγματι Συνκλήτου*), quo aliarum civitatium nummi, perpaucis exceptis, destituuntur [18]). Trallium urbs, cujus jam supra mentio injecta, non solum in nummis (*ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΤΩΝ. ΣΕΒΑCΤΩΝ*), sed in lapidibus etiam *νεωκόρος* nuncupatur [19]). — Ancyra, Galatiae metropolis, neocoriam secundam impetratam plurimis in nummis plerumque perbreviter duabus litteris designavit (*B. N.*). Ante Valerianum seniorem tamen eam in nummis Ancyranis non deprehendimus, quum e secunda neocoria eluceat, primae solemnia multis annis ante ab Ancyranis esse celebrata. — Ceteroquin magna haec illiusque regionis opulentissima urbs splendidissimos ludos *Ἀσκλήπια* celebrabat [20]). Laodicea Tyriae sub Caracallo neocoriam nacta eam sub sequentibus imperatoribus

---

16) T. IV, p. 298: nempe eosdem nummos neocoria etiam inscriptos. De ludis Thyatirenorum publicis cf. Stosch. Ant. Thyat. I, 8, p. 189.

16b) De deo Luno Carris culto, cujus templi visendi cupiditas occasionem praebuit Caracalli interficiendi, cf. Ael. Spartian. vit. Caracalli c. 6, p. 717. et c. 7, p. 719 seqq. Scr. hist. Aug. T. I.

17) Mionnet T. IV, p. 202, n. 38.: Aesculapio et Hygea in nummis adumbratis.

18) T. IV, p. 328 seqq. senatus consultum vero nihil erat nisi imperatoris, cujus imaginem his nummis additum videmus (ut n. 770 ibid.) voluntas.

19) Mionnet T. IV, p. 189. Eckh. D. N. T. III, p. 127. Boeckh. C. I. n. 2926. Boeckhii tamen conjecturae, *τρὶς νεωκόρου* proponentis, nummi superstites adversantur.

20) Mionnet ibid. T. IV, p. 385 seqq.

rursus omisisse videtur, nummis testibus omni neocoriae titulo carentibus[21]). Cyzicus Mysiae, Luculli tempore clara facta Romanisque admodum amica, nummis primam et secundam neocoriam frequenter inscripsit. Hic denuo nobis difficultas illa, quam supra attigimus, oboritur, quum Mionnetus non prima solum, sed secunda etiam neocoria insignes nummos aetati ante Augustum imperantem adscripserit[22]). Quodsi revera illi nummi ante Augustum imperantem cusi, primam eorum neocoriam ad Proserpinam, *ΚΟΡΗ ΣΩΤΕΙΡΑ* dictam, retulerim, alteram vero ad Cererem in illis nummis adumbratam ita, ut in dextra aristas, in sinistra facem teneat[23]). Utramque enim deam a Cyzicenis maxime cultam iidem nummi luculenter declarant. Quum vero imperatorum aetate eorum uxores numinibus mysticis maxime assimilari eorumque nominibus ornari solerent, ut supra expositum, Augusto imperante facile fieri potuit, ut Livia et Iulia Cereris et Proserpinae nominibus mactarentur. Verumtamen quidquid de illis nummis statueris, in eo certe Mionnetus manifestum commisit errorem, qui Capricorni signum ostentat[24]). Quum Capricornus Augusti natales designet, istum nummum ante Augustum collocari non posse apparet. Quamquam capricornum nummis impressum rei nummariae periti vario modo interpretati sint, nulla tamen interpretandi ratio verisimilior quam illa, quae hoc signum ad Augustum retulit[25]). Alterum utrum igitur de illis Cyzici nummis neocoriae titulo ornatis affirmaverim, aut neocoriam illam non esse imperatoriam, sed numinibus dicatam, aut illos nummos seriori aetati esse assignandos. Jam video Eckhelium etiam, in nummis dijudi-

21) Mionnet T. II, p. 530 seqq. et Suppl. T. V, p. 257. Eckhel. T. III, p. 127.

22) Mionnet T. II, l. c. et Suppl. T. V, p. 310—314.

23) Ibid. T. II, p. 530, n. 98. Suppl. T. V, p. 310, n. 173. 197. 198. Templum splendidissimum Cyzici maximis amplissimisque columnis ornatum Antonino Pio regnante terrae motu gravissimo collapsum est. Dio Cass. LXX, c. 4. Cf. Plin. XXXVI, 22. Aristid. *Παν. ἐν Κυζικ.* XVI, 391. Dind. —

24) Ibid. Suppl. T. V, p. 314, n. 201.

25) Cf. Liebe, Thes. Fried. c. III, §. 5, p. 55 seqq.

candis maxime versatum, hoc intellexisse ac jure affirmasse, „nummos ante Neronem neocoratum non prodere" [26]). Quae in universum pronunciata sententiam nostram saepius expositam corroborant. Nam quamquam Augusto imperante neocoria, quam imperatoriam dixi, revera sit instituta, tamen nummi sub Augusto cusi eam omnium minime nobis ostendunt. — Tiberio imperante Cyzicenis libertas ademta tum alias ob caussas tum propter neglectas Augusti caerimonias, ut supra expositum. Quales fuerint illae caerimoniae, plane ignoramus, nec illorum nummi Augusti capite ornati conjecturae praebent occasionem, nisi divinare velimus Cereris atque Proserpinae sacra mystica simul ad Liviae atque Iuliae cultum esse relata. Faces enim ardentes in nummis etiam Augusti capite insignitis comparent [27]). Sub Hadriano demum Olympio dicto in Cyzicenorum nummis neocoriae *imperatoriae* titulus cernitur [28]). Antonino Pio regnante et primae et secundae neocoriae titulus in compluribus redit nummis [29]). Sub M. Aurelio atque Commodo constanter prima neocoria comparet [30]). Sept. Severo imperante Cyziceni sese in nummis *B. ΝЄΩΚ.* designabant; sub Caracallo promiscue et simpliciter *ΝЄΩΚ.* et *B. ΝЄ.* [31]). Eodem modo sub sequentibus imperatoribus fluctuante numero tum primae tum secundae neocoriae titulus commemoratur [32]). Cyzicenorum neocoriam imperatoriam lapides etiam testantur: *Τῆς λαμπροτάτης*

---

26) Doctr. numm. T. IV, p. 295.

27) Mionnet T. II, p. 536 seqq. n. 160. Suppl. T. V, p. 314, n. 204. 206.

28) Mionnet Suppl. T. V, p. 318, n. 225.

29) Ibid. Suppl. T. V, p. 319 seqq. Suppl. T. II, p. 539 seqq.

30) Ibid. Suppl. T. V, p. 321 seqq. T. II, p. 540 seqq. In nummis eo imperante cusis Faustina junior Proserpinae assimilata cernitur, ut n. 192. T. II, p. 542.: *ΚΟΡΗ. CΟΤΕΙΡΑ. ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ.* Tête de Faustine jeune, avec les attributs de Proserpine, à droite. Suppl. T. V, p. 326, n. 279.: *ΚΟΡΗ. CΩΤЄΙΡΑ. ΚΥΖΙ. . . .* Tête de Faustine la jeune couronnée d'épis, comme Cérès, à droite. Cf. n. 278. n. 288 al. ibid.

31) T. II, p. 545 seqq. Suppl. T. V, p. 336 seqq.

32) T. II, p. 547 seqq. Suppl. T. V, p. 341 seqq.

μητροπόλεως τῆς Ἀσίας Ἀδριανῆς νεωκόρου φιλοσεβάστου Κυζικηνῶν πόλεως[33]). De alio eorum lapide inscripto, qui sacerdotem exhibet neocorum, infra §. 14. disseremus. — Attalia Pomphyliae sub Caracallo, Side vero, ejusdem regionis oppidum perquam celebre, sub Gallieno demum neocoriam erat consecuta[34]). Eodem fere tempore, quo Side, Pergam etiam neocoram designatam nummi sub Gallieno, Salonina et Salonino cusi testantur[35]). Dianae Pergaeae cultus ibi maxime celebris, panegyris cum ludis solemnibus frequentissima, asylo etiam cum Dianae templo conjuncto (*ΠΕΡΓΑΙΑC. ΑΡΤΕΜΙΔΟC. ΑCΥΛΟΥ*) nummis compluribus significantur[36]). — Philadelphia iis civitatibus est adnumeranda, quarum nummi, si eorum ordini a Mionneto servato fidem habemus, jam ante Augustum imperantem neocoria sunt inscripti. Verumtamen maxime verisimile, hanc Philadelphensium neocoriam ad Dianam Ephesiam in compluribus eorum nummis adumbratam pertinuisse[37]). Septimio Severo, Caracallo, Alex. Severo, Gordiano Pio, Philippo Seniore, Traiano Decio, Herennio Etrusco imperantibus neocoria imperatoria constanter nummis hujus oppidi est inscripta[38]). — Caesarea, Cappadociae metropolis dicta, Sept. Severo imperatore, neocoriae honorem est consecuta, cui Gordiano Pio imperii clavum tenente secunda est addita[39]). — Tarsus, Ciliciae metropolis celeberrima, secundam neocoriam sub Commodo impetrasse videtur, duobus quidem nummis testibus ita inscriptis:

---

33) Boeckh. C. I. n. 3665. De Cyzico ejusque opulentia, templis, aedificiis publicis cf. Strab. XII, 8, 575 seqq. Cas.

34) Mionnet Suppl. T. VII, p. 35, n. 47 seqq. p. 76. n. 233 seqq. p. 78 seqq.

35) Mionnet T. III, p. 468, n. 123.

36) Ibid. T. III, p. 466. Suppl. T. VII, p. 56 seqq. De asylo v. infra §. 22.

37) Mionnet Descr. d. med. etc. T. IV, p. 98, n. 531. *ΝЄΩΚΟΡΩΝ.* Diane d'Ephèse entre le soleil et la lune, p. 100, n. 545. — et al. Suppl. T. VII, p. 399, n. 375 et al. Praeterea illorum nummorum aetas admodum incerta mihi videtur esse, quum illud, quod nullo imperatoris alicujus capite sint ornati, non sufficiat ad eorum aetatem constituendam.

38) Mionnet T. IV, p. 103 seqq. Suppl. T. VII, p. 405 seqq.

39) Mionnet Suppl. T. VII, 689. 705.

KOINOC. KIΛIKIΛC. TAPCOY. ΛIC. NEΩKOPOY: altero latere: *AΛPIANH. KOMOΔIANH. TAPCOC H MHTPOΠOΛIC.*[40]). Non intelligo, qua de caussa hos nummos Mionnetus ante Augustum imperantem posuerit, quum manifesto Commodi aetati imperioque sint adscribendi[41]). Primam neocoriam Tarsus ab Hadriano erat consecuta, quod nummi Antinoi nomine inscripti testantur, quodque simul ex cognomento *AΛPIANH* elucet. Aegas, Ciliciae oppidum, ab Alexandro Severo neocoriae dignitatem impetrasse verisimile[42]). — *ΠEPINΘIΩN NEΩK.* et *B* seu *ΔIC NEΩK.* titulum permulti Perinthiorum nummi ostentant, a Mionneto ante Neronis imperium collocati[43]). Attamen quum illi nummi nullius imperatoris nomine capiteve sint ornati, eorum aetas admodum incerta, nec accurate nosse possumus, num illa neocoria divina fuerit an humana, num ad deos an ad homines pertinuerit. — Certum tamen, neocoriam imperatoriam a Perinthiis Sept. Severo imperante esse celebratam, testibus nummis atque lapidibus inscriptis[44]). Nam *ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος τῶν νεωκόρων Περινθίων* in uno, et *ἡ λαμπροτάτη δὶς νεωκόρος Περινθίων πόλις* in altero lapide reperitur[45]). Boeckhius in nota ad hos titulos addit: „Eum neocoratum primum nacti sunt, ex quo Sept. Severus, capta, quae Nigrum amplexa erat, Byzantiorum urbe, hanc ipsam ejusque dicionem donavit Perinthiis, ut narrat Dio in Severo.“ Dio Cassius rebus illis expositis neocoriae tamen nullam fecit mentionem[46]). Nummi permulti sub Sept. Severo cusi Perinthios simpliciter designant *νεωκόρους*, additis ludorum solemnium nominibus (*ΦIΛAΔEΛΦEIA. AKTIA. ΠYΘIA*). Ca-

---

40) Mionnet. Suppl. T. VII, p. 256 seqq. n. 393. 394.

41) Nisi forte eos in fronte Tarsensium nummorum collocaverit, quod vocibus *KOINOC KIΛIKIΛC* sint inscripti.

42) Mionnet T. III, p. 625. 626. et p. 545 seqq. ibid. Cf. Khell Suppl. ad Vaillant numm. imperat. p. 188.

43) T. I, p. 400 seqq. Suppl. T. V, p. 125, n. 720 seqq.

44) Mionnet T. I, p. 403 seqq.

45) Boeckh. C. I. n. 2022. 2023.

46) Libr. LXXIV, 14.

racallo imperante secundam neocoriam nummis inscripserunt[47]), subsequentibus imperatoribus saepissime repetitam. Philippopolis Thraciae, metropolis dicta, sub Elagabalo demum neocoriae titulum assecuta nummisque testata est[48]). Thessalonice sub Gordiano Pio demum sese neocoram nuncupavit, sub Philippo seniore secundam neocoriam adepta[49]). Heraclea Bithyniae sub Alex. Severo *νεωκόρος* facta, et *TOY. ΠΟΝΤΟΥ* quidem[50]): quum Amasia, quae sese *πρώτην τοῦ Πόντου* jactat, istam dignitatem jam Antonino Pio regnante esset consecuta[51]). Macedonia sub Caracallo primae et secundae neocoriae titulo est gloriata (*KOINON. MAKEΔONΩN NE.* et *B. NЄΩ*)[52]).

Ex hoc civitatium neocorarum conspectu, quo praecipuas tantum memoravimus[53]), abunde patet, veteris Graeciae civitates, ut Athenas, Spartam, Argos, Thebas, Arcadiae totiusque Peloponnesi oppida ab illa neocoria imperatoria constanter abhorruisse, in nummis certe lapidibusque inscriptis nihil tale ad

47) Mionnet T. I, p. 404. 505.

48) Ibid. T. I, p. 417 seqq. et Suppl. T. V, p. 68 seqq.

49) Ibid. T. I, p. 502 seqq.

50) T. II, p. 442 seqq.

51) T. II, p. 335 seqq.

52) T. I, p. 459 seqq. *KOINON* et *KOINOC* ita distinguuntur, ut illud ad civitatium commune quoddam maxime ludorum celebrandorum caussa institutum, hoc vero ad certos quosdam ludos communes (*κοινός*, sc. *ἀγών*) referatur, de quibus infra §. 19. accuratius agetur.

53) Praetermisi nonnullas civitates plane dubias, quum nummorum, quorum inscriptionibus illarum neocoria nitatur, fides non sit satis certa. Vandalius c. c. nummum Siculum Paruta auctore in medium produxit ita inscriptum: *KAICAP CЄBACTOC. APXIEP. MEΓ. ΔHM. EΞOYC*; altero latere *MECCANIΩN. ΔIC NEΩKOPΩN.* Quodsi hic nummus genuinus atque inscriptio vera, aut neocoriam ad numen quoddam aut numina, aut *KAIC. CЄB.*, non ad Augustum, sed ad seriorem imperatorem referendum, aut eum nummis postremis Augusti annis cusum putaverim, aut duplicem neocoriam ad Augustum et Liviam, quamquam invitus, retulerim. Nihil enim in aliis nummis tale quidquam repertum. Verumtamen de hoc similibusque nummis singularibus nihil certi statuere quisquam tuto poterit, nisi ipsos inspexerit manuque tractaverit.

posteritatis memoriam propagasse. Nam licet in nonnullis Graecorum oppidis templa imperatoribus dedicata exstiterint[54]), neocoria tamen imperatoria nusquam commemoratur, nec imperatorum *νεωκόρους* apud scriptores, nec in nummis lapidibusve inscriptis puto reperiri. Praeterea illa, quae Pausanias vidit templa, aut occasione aliqua urgente aut imperatore ipso jubente optanteve, erant erecta aut ab ipsis imperatoribus subsequentibus consecrata antecessoribus defunctis[55]). Fieri enim potuit, ut aliqua civitas maximis beneficiis ab imperatore aliquo acceptis devincta delubrum ei erigeret monumenti instar, ita tamen, ut nullos sacerdotes, nullam neocoriam institueret[55b]). Antinoi fanum Mantineae ab Hadriano erat excitatum[56]). —

Apud Germanos nulla hujus imperatorum cultus vestigia reperiuntur[56b]): perpauca exempla in Galliarum Hispaniarumque civitatibus obvia, ut supra jam expositum. Italia quidem templa imperatoribus aedificata atque consecrata vidit, ut illud Augusti

54) Cf. Pausan. II, 3, 1. 8, 1. III, 11, 4. IV, 25, 1. VIII, 9, 4.

55) Hoc conjicere possumus ex iis, quae scriptores hist. Aug. referunt. Ael. Spart. de Adriano Caes. c. 13, p. 126. Lugd. Bat. 1671.: „Eodemque modo per Asiam iter faciens *templa sui nominis* consecravit (de Adriano). Id. c. 7, p. 241.: „Statuas sane Aelio Vero per totum orbem colosseas poni jussit, templa etiam in nonnullis urbibus fieri.“ Iul. Capitol. vit. Anton. Pii, c. 5, p. 257.: „Clypeum Adriano magnificentissimum posuit et sacerdotes instituit.“ — Idem de eodem Antonino Pio c. 6, p. 260.: „quae (Faustina) a senatu consecrata est, delatis circensibus atque templo et flaminicis et statuis aureis atque argenteis etc. Alia hoc genus multa apud scriptores hist. Aug. reperiuntur. Ael. Spartian. vit. Caracalli c. 11, p. 732. Scr. Hist. Aug. T. I: „Habet templum, habet salios, habet sodales Antoninianos, qui Faustinae templum et divale nomen eripuit: certe templum, quod ei sub Tauri radicibus fundaverat olim maritus Antoninus, in quo postea filius hujus Bassiani Heliogabalus Antoninus sibi vel Iovi Syrio, vel Soli (incertum enim id est) templum fecit.“ — Ael. Spart. vit. Adriani c. 27, p. 218 seq.: „Templum denique ei pro sepulcro apud Puteolos constituit,“ Antoninus Pius nempe Adriano defuncto. Aurel. Vict. Epit. c. 15 de Antonino Pio: Ob cujus honorem templa, sacerdotes atque infinita alia decreta sunt.

55b) Paus. III, 11, 4.

56) Paus. VIII, 9, 4.

56b) Arae tamen, ut in Gallia, erant Augusto erectae. V. infra Coroll. IV.

apud Nolam a Tiberio dedicatum, ut alia Romae erecta, quorum supra fecimus mentionem. Novimus etiam sacerdotes illi constitutos. Verumtamen neocoriae, quam in civitatibus Asianis aliisque provinciis descripsimus, nulla exempla nec in nummis Italicis nec in lapidibus obvia. Quod ad Siciliam attinet, res admodum est dubia nec ad liquidum perducta, quum eorum nummorum, qui eam testantur, ambigua sit fides. — Praecipua igitur hujus cultus divini imperatoribus concessi sedes erat Asia, unde in alias regiones, in Thraciam Macedoniamque migravit. Quo quaeque civitas Asiana magnitudine opibusve erat potentior aut vetustate rebusque gestis clarior, eo majorem dedit operam, ut neocoriae dignitatem sibi compararet eamque impetratam nummis lapidibusque testaretur. Perpauca illarum regionum oppida insigniora reperiuntur, quorum nummi conservati nihil tale habeant inscriptum, quaeque omnes alios potius honores imperatoribus tribuendos putasse videantur, quam neocoriam, ut Clazomenae[57]).

§. 10.

Quum certum sit, neocoriae in provinciis instituendae veniam a Roma petitam esse atque impetratam, quaeri licet, num ubique, in quaque civitate senatus Romani decreto illa sit concessa atque confirmata, an imperator ipse absque senatu illam praebuerit. — Novimus quidem senatus decretorum exempla in lapidibus nummisque scripta, sed perpauca, si magnum illum civitatium neocorarum numerum cum illis comparamus. — Marmor Oxoniense Smyrnam designat *γ′ νεωκόρον τῶν Σεβαστῶν κατὰ τὰ δόγματα τῆς ἱερωτάτης συγκλήτου*[58]). In alio Oxoniensium marmorum titulo: *δεύτερον δόγμα συγκλήτου καθὸ δὶς νεωκόροι γεγόναμεν*[59]). Nummos huc pertinentes jam supra memoravimus, Laodicenos nempe neocoriam testantes et *δόγματι συγκλήτου* inscriptos[60]). In Ephesiorum nummis haec repe-

57) Cf. Mionnet T. III, p. 63—74.

58) N. 5. 6. Cf. Eckh. Doctr. numm. IV, 297.

59) Ibid. n. 6.

60) Vide supra §. 9.

riuntur: *δόγματι συγκλήτου οὗτοι ναοί*[61]). Quod tamen Vaillantus putavit, in Perinthiorum nummis *Γ. Β. γνώμῃ* vel *γράμματι βουλῆς; Γ. Γ. γνώμῃ* vel *γράμματι γερουσίας* significare, Eckhelius prudenter refutavit[62]). Manifestum quidem testimonium, patres more antiquo de templis provinciarum erigendis atque imperatori alicui consecrandis esse consultos atque decreto facto illam veniam concessisse, praebet Tacitus[63]), quamquam illo tempore senatus decretum nihil erat, nisi Principis voluntas, libertatis umbra quadam involuta. Imperatore enim renuente senatus prompte et constanter templi erigendi jus negabat. Commodo imperante Nicomedenses *παρὰ τῆς βουλῆς ἔλαβον νεὼν τοῦ Κομμόδου ποιήσασθαι*, quod maxime Cleandri studio interposito, plurimum apud imperatorem pollentis, impetratum[64]). Quae supra de templis communibus urbi Romae et Caesari, urbi Romae et Augusto in Asiae civitatibus consecratis exposuimus, ostendunt Augustum has res arbitrio suo constituisse, licet senatus fuerit consultus, quod neque Dio Cassius neque Suetonius commemorare operae pretium putaverunt[65]). Tiberius libertatis priscae vanam imaginem senatui in hujusmodi negotiis tractandis lubentissime concedere solebat[66]). Quidquid igitur imperatorum aetate de his atque similibus rebus a senatu decretum, principis arbitrio, voluntate, consensu certe factum esse non est quod dubitemus. —

§. 11.

His expositis eam hujus argumenti partem aggrediamur explicandam, quae ab omnibus ejus interpretibus adhuc difficillima et maxime implicita est judicata, nempe de neocoriarum numero lapidibus inscriptis nummisque addito nunc aucto, nunc imminuto, ita ut certa hujus rei lex vix comprehendi queat.

61) Eckh. Doctr. numm. IV, p. 298.
62) T. IV, p. 298.
63) Annal. libr. IV, c. 56.
64) Dio Cass. LXXII, 12.
65) Vide supra §. 4. 5.
66) Tacit. Annal. III, 60 seqq. IV, 56 seqq.

Saepissime enim in civitatium neocorarum nummis post τρὶς νεωκόρ. sub iisdem vel sub sequentibus imperatoribus rursus δὶς, post τετράκις rursus τρὶς vel δὶς νεωκ., vel primam neocoriam per simplex ΝЄΩΚ. consignatam videmus. Quam difficultatem quum rei nummariae antiquitatisque periti alii alia ratione dissolvere ac removere sint conati, nulla tamen adhuc proposita est interpretatio, quin aut prorsus sit improbanda, aut multa relinquat obscura, aut in multas incidat res plane ei adversas et controversas, aut quin multa ei sint opponenda, aut multa ei desint. Diversas illas sententias maximam partem in operibus de re nummaria veterum scriptis hic illic dispersas hoc loco enumerare atque dijudicare tum longum est, tum vix operae pretium[67]). Quae Eckhelius, judex alioquin prudentissimus atque in nummis veterum dignoscendis maxime versatus, de neocoriarum fluctuante numero in nummis designato disputavit, vera fortasse atque ad difficultates diluendas idonea haberi possent, si haec omnis quaestio in tribus quattuorve nummis paucarum civitatium versaretur[68]). Quum vero admirabilem quandam nummorum copiam diversarum civitatium noverimus, in quibus auctus neocoriarum numerus mox imminutus denuoque auctus compareat[69]), fortuitis illis caussis, quibus Eckhelius putavit, id minime effectum crediderim. — Verumtamen

67) Primariae earum jam aqud Eckhelium Doctr. numm. IV, p. 298 seq. expositae atque breviter illustratae reperiuntur. Miror tamen, Eckhelium non accuratius ea considerasse, reputasse atque dijudicasse, quae Pellerinius de hac re jam docuerat (Rec. d. med. d. Peupl. et d. vill. T. II, p. 266 seqq.), a quo nostrae hujus interpretationis pars jam in medium erat prolata. Eckhelius tamen, qui in rebus nonnullis ad rem primariam minus pertinentibus haesitavit, illam sententiam non refutavit quidem, sed quasi non sufficientem atque difficultates obvias non removentem in medio reliquit.

68) Doctrina numm. vet. T. IV, p. 303 seqq.

69) Magnopere errat Eckhelius Doctr. numm. T. IV, p. 305, siquidem Sardes tantum atque Nicomediam in hanc rem memorat, quum tot civitatium neocorias, quoad numerum, crescentes et promiscue decrescentes in nummis videamus, quod Eckhelium minime fugere potuit. Sed in his enodandis minime morari ac desudare voluisse videtur.

ad nostram statim interpretationem accedamus proponendam, quae, ut opinamur, promiscuis illis neocoriarum numeris explicandis sufficere poterit, donec magis scita atque idonea in medium fuerit prolata.

Primum omnium hoc tenendum, cujusque civitatis neocoriam a senatu Romano sive ab imperatore concessam cum sacrificiis, caerimoniis solemnibus, ludis necessario fuisse conjunctam, eamque non quotannis, sed majori temporis intervallo praeterlapso denuo celebrari esse solitam, sive trieterico sive quinquennali temporis spatio interjecto. Nam quum haud mediocris sumptus ad ea solemnia rite celebranda requireretur, opulentissimis etiam civitatibus anniversarius eorum reditus grave onus imposuisset [70]). Admodum igitur verisimile, neocorias imperatorias plerumque (nisi ubique) pentaetericas seu quinquennales fuisse, h. e. quarto quoque anno praeterlapso rediisse. Quodsi civitas aliqua neocoriam primam impetraverat, illo anno, quo ea aut primum celebrata, aut tempore praeterlapso repetita est, qui nummi sunt cusi, simpliciter *Νεωκόρων*, (sc. *πολιτῶν*, sive *Νεωκόρου*, sc. *πόλεως*, seu *Νεωκόρος*, sc. *πόλις*) titulo sunt insigniti. Interjectis vero annis qui nummi cudebantur, neocoriae significatione prorsus carebant. Hinc intelligitur, cur in cujusvis civitatis nummorum serie illis nummis qui neocoriam ostendunt multi alii sint interpositi, temporis quidem ratione habita, qui omni neocoriae signo destituti aliis typis inscriptisque litteris sint ornati. Exemplorum magnam copiam opera de veterum civitatium nummis scripta praebent. Eadem civitas vero quum subsequente tempore secundam adepta esset neocoriam, hujus quoque solemnia celebranda certo tem-

70) Alabandenses quidem in honorem urbis Romae, cui templum consecraverant, ludos *anniversarios* instituerant, ut supra e Livio XXXXIII, 6, memoratum (§. 4.), qui locus tamen non tanti momenti est (quum in eorum nummis nulla neocoria in Romae honorem compareat), quanti hic Suetonii (Aug. c. 59.): „Provinciarum pleraeque super templa et aras ludos quoque *quinquennales* pene oppidatim constituerunt.“ — Mos ludorum quinquennalium instituendorum e certaminibus sacris, Olympicis maxime, derivatus esse atque usu receptus videtur.

pore praeterlapso redibant, si pentaeterica, quarto quoque anno transacto. Deinde omnes nummi, qui eo anno cudebantur (et hanc ipsam ob caussam plurimi eo anno cusi esse videntur), quo secunda neocoria sive primum celebrata seu repetita est, litteris *Β* seu *ΔΙϹ ΝЄΩΚ.* sunt inscripti. Quodsi eidem civitati ab imperatore serioris aetatis tertiae neocoriae jus ac privilegium erat concessum (ut Epheso, Pergamo, Smyrnae, Nicomediae, aliis), hujus quoque solemnia constituto tempore transacto redibant, atque nummi, qui eo anno, quo illa aut primum aut secundum, tertium etc. celebrata sunt, signati, litteris *Γ.* seu *ΤΡΙϹ ΝЄΩΚ.* sunt inscripti. Qui vero interpositis annis e moneta prodibant, nullo neocoriae titulo ornari solebant, quod nummorum nobis servatorum series cujusque civitatis ad temporis rationem disposita luculenter confirmat. Nonnullae Asiae civitates primariae quartam etiam neocoriam, quamquam id perraro factum, obtinuerunt, ut Ephesus: hinc nummi *ΤЄΤΡΑΚΙϹ. ΝЄΩΚ.* prae se ferunt, sive illi eo anno signati sint, quo primum neocoriae quartae solemnia celebrata, sive illis annis, quibus eadem sint repetita. — Hac ratione fieri necesse erat, ut post quartam neocoriam tertia, secunda, prima, suis quaeque annis rite redirent. Nam si semel illa neocoriarum solemnia ut quinquennalia, h. e. periodica, certis temporum intervallis reditura, constituta erant atque consecrata, omitti non poterant, quin religio violaretur. — Quo igitur anno tertiae vel secundae vel primae neocoriae solemnia repetita sunt, omnibus ejusdem anni nummis par neocoriae numerus est inscriptus (aut *ΤΡΙϹ*, aut *ΔΙϹ*, aut simplex *ΝЄΩΚ.*). Ita non poterat non saepissime fieri, ut nummi ejusdem civitatis, qui tertiam et quartam neocoriam impetraverat, nihilominus subsequentibus annis tum secundae tum primae neocoriae titulo consignarentur, intermixtis praeterea nummis aliis omni neocoriae signo destitutis, quamquam circa idem tempus, sub iisdem quibus illi imperatoribus cusis[71]). Hinc elucet etiam, cur eo tem-

71) Hoc loco mihi opponi poterit: quid, si aliqua civitas quartam neocoriam impetraverat, nonne jam quique annus suam habebat neocoriam? Quomodo nummi praeterea inveniri possunt ejusdem civitatis sine omni neoco-

pore, quo Caracallus, Elagabalus, Alexander Severus, Valerianus senior, Gallienus imperabant, quo neocoriarum celebrandarum studium maxime ardere coeperat, plurimarum civitatium plurimi nummi neocoriae titulo insignes reperiantur, paucioribus interpositis neocoriae signo carentibus. Nam sub illorum imperio plurimae civitates secundam, complures tertiam et nonnullae quartam neocoriam impetraverunt et in universum illa adulatio summum assecuta erat florem. Dehinc vero ille fervor paullatim refrigescere coepit, quamquam sub Aureliano adhuc multi nummi neocoriae titulo insignes nobis sint obvii [72]. Attamen illud non praetermittendum est, seriore aetate facile fieri potuisse, ut una alterave neocoria imperatoris alicujus omnibus flagitiis contaminati, ut Elagabali, post ejus interitum omitteretur, praesertim si successoris, ut Alexandri Severi, honesta et proba sentiendi ratio atque vitae integritas omnibus notae, nec ab eo ulla neglectae caerimoniae vindicta esset timenda. —

Hac igitur interpretandi ratione inita omnes difficultates,

---

riae signo, ex quo tempore quartam obtinuerat neocoriam? Est tamen, quod respondeam. Primum perpaucae, duae tresve civitates, quartam neocoriam obtinuerant: deinde id sero factum, ut Ephesus sub Caracallo demum et Elagabalo (Mionnet T. III, p. 112, n. 380), et quod maxime respiciendum, sub iis principibus, quorum vita erat minime honesta, ut iis defunctis, sine periculo ista praetermitti posset. Tum non omnes cujusque civitatis nummi nobis sunt servati: tum videmus etiam in nummis ejusdem civitatis post quartam neocoriam pauciores, qui omni neocoriae signo careant. Postremo fieri etiam potuit, vel potius necesse erat, ut praeter neocoriam alia etiam solemnia (ut *OIKOYMENIA* in Ephesio nummo post quartam neocoriam cuso), aliae res maximi momenti nummis ejusdem anni essent consignandae, ad aliarum civitatium notitiam propagandae et ad posteritatis memoriam consecrandae (ut *ΑΠΗΝΗ ΙЄ . . . . ЄΦЄϹΙΩΝ* apud Mionnet. T. III, p. 112, n. 382.: quae inscriptio sine dubio ad Dianae Ephesiae sacra solemnia spectat, quae sanctissime colebatur). — Eckhelius Doctr. numm. IV, 7, p. 302 seq. refutavit Pellerinium, qui opinatus esset, nonnunquam eodem anno et tertiae et secundae neocoriae solemnia esse celebrata atque hinc ejusdem anni nummis et *ΤΡΙϹ* et *Β* seu *ΔΙϹ ΝЄΩΚ.* esse inscriptum,

72) Cf. Mionnet T. III, p. 470. all. locc.

quae ex illo neocoriarum numero fluctuante oriuntur, removeri posse puto, quod clarissimarum civitatium exemplis illustrabimus.

§. 12.

Ephesii Nerone imperante primam neocoriam ostendunt, uno tantum nummo teste superstite, sive ad Augustum illa, cui templum Ephesi erectum, sive ad ipsum Neronem sit referenda [73]. Subsequentes Ephesiorum nummi nobis conservati, sub Vespasiano, Domitiano, Traiano cusi omni neocoriae signo carent [74]. Sub Hadriano demum secunda neocoria emergit, multis tamen nummis subsequentibus, qui ab omni neocoriae titulo nudi alias inscriptiones vel solam vocem *ΕΦΕΣΙΩΝ* exhibent. — Nummi Antonino Pio imperante signati Aeliique capite atque nomine ornati denuo *ΔΙϹ. ΝϾΩΚ.* praebent, quos rursus multi alii sequuntur, omni hujus generis titulo destituti, uno tamen interposito simpliciter *ΝϾΩΚ.*, tribusque aliis *ΔΙϹ. ΝϾΩΚ.* inscriptis [75]. Sub M. Aurelio *ΔΙϹ* vel *Β. ΝϾΩΚ.* in compluribus nummis redit, quamquam multis aliis interjectis sequentibusve eo titulo prorsus denudatis [76]. Eadem ratio nummorum L. Veri imagine nomineque insignium. Eodem modo nummi Commodo regnante signati *Β. ΝϾΩΚ.* admodum frequenter referunt, multis tamen nudis interjectis [77]. Redit *Β. ΝϾΩΚ.* in nummis Sept. Severi, Iuliae Domnae et Caracalli, interjectis multis aliis nullam neocoriam testantibus [78]. In nummis sub Caracallo

---

73) Mionnet T. III, p. 93, n. 253. Iam supra §. 8. conjecimus, hanc neocoriam ad Augustum esse referendam, quum Nero ab Augusti domo esset oriundus. In reliquis Ephesiorum nummis sub Nerone cusis nullum neocoriae vestigium observatur. Mionnet l. c. et Suppl. T. VI, p. 128 seqq.

74) Cf. Mionnet ll. cc.

75) Mionnet T. III, p. 96 seq. Suppl. T. VI, p. 141 seq.

76) Ibid. T. III, p. 101 seq. Suppl. T. VI, p. 141 seqq. Hic quaeri potest, cur nummi primae neocoriae titulo insignes non redeant? Respondebo, non omnes nummos cujusque civitatis quoque anno cusos nobis esse servatos, immo minimam tantum eorum partem, nonnullorum annorum plane nullum.

77) Ibid. T. III, p. 104 seq. Suppl. T. VI, p. 149 seq.

78) T. III, p. 105 seq. Suppl. T. VI, p. 155.

signatis tertiae neocoriae titulus conspicitur, ita tamen, ut in subsequentibus rursus *ΔΙC* seu *Β. ΝЄΩ.* reperiatur[79]). Sub eodem Caracallo memorabilis illa inscriptio in uno Ephesiorum nummo obvia: *Ἐφεσίων μόνων ἁπάσων τετράκι νεωκόρων*[80]). Subsequuntur tamen rursus nummi Caracalli et Getae nomine atque *ΤΡΙC* et *ΔΙC ΝЄ.* inscripti, multis aliis interjectis absque omni neocoriae commemoratione[81]). Unus nummus *Γ. ΝЄΩΚ.* inscriptus sub Macrino ejusque filio Diadumeniano est signatus[82]). Sub Elagabalo redit ille superbior titulus: *Ἐφεσίων μόνων ἁπάσων τετράκι νεωκόρων*, quem rursus simplex et *ΔΙC ΝЄ.* subsequuntur[83]). — Deinde denuo in compluribus nummis illud *τετράκις νεωκ.* et *μόνων ἁπάσων τετράκι νεωκόρων* reperitur[84]). Sub sequentibus principibus eorumque uxoribus rursus secunda neocoria saepissime obvia[85]). Sub Alex. Severo *ΔΙC ΝЄΩΚ.* et *ΤΕΤΡΑΚ.* reperimus, aliis intermixtis sequentibusque nummis, quibus ne minima quidem neocoriae nota addita, plerisque *ΠΡΩΤΩΝ. ΑCΙΑC* inscriptis[86]). Nummi Mamaeae nomine imagineque insignes nullum neocoriae praebent vestigium[87]). Sub Maximino ejusque filio Maximo redit *Γ. ΝЄ.*, quum Gordiani Pii nummis et *ΤΡΙC.* seu *Γ. ΝΕ.* et simpliciter primam neocoriam inscriptam videamus[88]). In Tranquillinae nummis unus tantum *Γ. ΝЄ.* ostentat; nam omnes reliqui superstites neocoriae titulo carent[89]). Nummi sub Philippo seniore atque Otacilia signati *Γ. ΝΕΩΚ.* praebent, inter-

---

79) Mionnet T. III, p. 107, n. 349. Suppl. T. VI, p. 161, n. 542.

80) Ibid. Suppl. T. VI, p. 162, n. 548.

81) Ibid. p. 164.

82) Ibid. p. 169, n. 594.

83) Ibid. T. III, p. 112. Suppl. VI, p. 171 seq.

84) Ibid. p. 173.

85) Ibid. p. 174 seqq.

86) T. III, p. 114. Suppl. VI, p. 177 seq.

87) T. III, p. 115. Suppl. T. VI, p. 179 seqq. Hinc conjicere nobis licet, Elagabalo trucidato Ephesios neocoriae solemnia omisisse paullisper, nec nummis ejus titulum impressisse.

88) T. III, p. 116. 117. Suppl. T. VI, p. 180. 182.

89) T. III, p. 116. Suppl. VI, p. 187.

jectis aliis hoc titulo prorsus nudis. Sub Philippo juniore *Γ. ΝΕ.* conspicimus: reliqui vero omnes aliis typis sunt ornati [90]). In nummis sub Traiano Decio, Etruscilla, Treboniano Gallo, Valeriano seniore cusis redit nonnunquam *Γ. ΝΕ.*, quamquam aliae inscriptiones, ut *ΠΡΩΤΩΝ. ΑCΙΑC*, vel *ΕΦΕCΙΩΝ ΤΥΧΗ*, vel *ΕΦΕCΙΩΝ ΑΠΗΝΗ* (carpentum Dianae sacrum, cui imposita Dianae imago solemni pompa per urbem vecta esse videtur) multo frequentiores [91]). Sub Gallieno, Salonina et Salonino aut *Γ* et *Δ* promiscue, aut simpliciter *ΝЄ.* reperitur [92]). — Propositam hanc nummorum Ephesiorum neocoriae titulo insignium copiam admirabilem si quis diligentius inspicere velit atque examinare, facile intelliget, ea quam exposui interpretatione omnia explicari difficultatesque obvias removeri posse, alia vero explicandi ratione, quae quidem in medium sit proposita mihique cognita, non posse. Nam, quod jam saepius commonui, omnes illi nummi, quibus nullum neocoriae signum additum, reliquis intermixti, ad eos annos sunt referendi, quibus nullius neocoriae solemnia sunt celebrata. In his alia civitatis privilegia, immunitates, honores, ut *ΠΡΩΤ. ΑCΙΑC* aut *ΑCΥΛΟ.* etc. significantur [93]).

---

90) T. III, p. 120. Suppl. VI, p. 190 seq.

91) T. III, p. 120 seq. Suppl. VI, p. 191 seqq.

92) T. III, p. 123 seq. Suppl. T. VI, p. 199 seq. — *Δ* ante *ΝΕΩΚ.* in nummis plerumque *ΔΙC* (= *Β'*), his significat, rarissime quaternarium numerum = τετράκις, quamquam utramque significationem habere possit. — Nam quae civitates quartam neocoriam impetraverant, hanc singularem atque eminentem dignitatem non ambigua littera, sed plena voce τετράκις designare solebant, quum *Δ* ante neocoriae notam frequentissime reperiatur (secundam enim neocoriam plurimae civitates nactae erant), in earum etiam civitatium nummis, quae quartam neocoriam non impetraverant.

93) Ut nihil omittamus, quod de hoc salebrarum pleno argumento dici possit, moneamus, aliam adhuc conjecturam proponi posse, nempe ut statuamus, non toto anno, quo neocoriae alicujus solemnia sint celebrata, sed eo tantum mense, in quem solemnia incidissent, nummos cusos neocoriae titulo esse insignitos, reliquis mensibus qui cusi sint, aliis inscriptionibus esse ornatos. Sed haec est conjectura mera, nullis testimoniis argumentisque confirmata.

Ne tamen unius tantum civitatis exemplo acquiescamus, et Smyrnam et reliquas Asiae urbes primarias respiciemus. Quamquam Smyrnaei, ut supra memoratum, jam M. Porcio consule urbi Romae templum consecraverant ac postea praecipue hanc ob caussam templi Tiberio erigendi veniam prae ceteris a senatu obtinuerant, tamen in nummis inde ab Augusto cusis, qui quidem superstites, usque ad Hadriani tempus nullum neocoriae signum deprehenditur, sub quo imperatore primam neocoriam nummis inscripserunt[94]). Sub Antonino Pio *ΔΙC. ΝЄΩΚ.* reperitur[95]). Sub Commodo complures nummi *Β. ΝЄΩΚ.* inscripti, pluribus tamen omni neocoriae signo destitutis[96]). Sept. Severo imperante *Γ. ΝЄΩΚ.* nonnulli nummi praebent: additis etiam *ΤΩΝ ΣΕΒΑCΤΩΝ*, atque *ΘΕΑC ΡΩΜΗC CΜΥΡΝΑΙΩΝ Γ. ΝЄΩΚ.*, permultis aliis tamen omni neocoriae signo nudis[97]). Nummi sub Caracallo cusi *Β. ΝЄΩΚ.* ostendunt, splendidis nonnulli epithetis ornati, ut: *ΤΩΝ CЄΒΑCΤΩΝ ΚΑΛΛΕΙ ΚΑΙ ΜΕΓΕΘΕΙ. CΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ΑCΙΑC. Γ. ΝΕΩΚ.*[98]). — Sub Alex. Severo et Mamaea *Γ. ΝЄΩΚ. ΤΩΝ. CЄΒ.*, etiam *ΠΡΩΤΩΝ ΑCΙΑC Γ. ΝЄ. ΤΩΝ. CЄΒ.* repeririuntur[99]). Sub Gordiano Pio et Tranquillina *Γ. ΝЄΩΚ.* nummi inscripti, quorum nonnulli tria templa exhibent[1]). Sub Valeriano, Gallieno et subsequentibus imperatoribus idem numerus obtinebat[2]). Sub Herennio denique simplex sive prima redit neocoria, multis tamen nummis ubique interpositis, quibus nulla neocoriae significatio addita[3]). Haec de Smyrna. Jam ad Pergamenos nummos accedamus, ut ex tribus civitatibus Asiae celeberrimis exempla in medium proponantur.

---

94) Mionnet T. III, p. 228.
95) Ibid. Suppl. T. VI, p. 343, n. 1704.
96) T. III, p. 274 seq. Suppl. T. VI, p. 346 seq.
97) T. III, p. 238 seq. Suppl. T. VI, p. 353 seqq.
98) Suppl. T. VI, p. 358, n. 1791.
99) T. III, p. 246 seqq. Suppl. T. VI, p. 365 seq.
1) T. III, p. 249, n. 408. Suppl. T. VI, p. 366, n. 1827.
2) T. III, p. 250 seq. Suppl. T. VI, p. 368 seq.
3) T. III, 256. Suppl. T. VI, l. c. et seqq.

§. 13.

Initia neocoriae Pergamenae jam supra (§. 6.) attigimus. Quamquam venia templi Augusto et urbi Romae dedicandi Pergamenis ab eo ipso imperatore concessa, nihilominus in eorum nummis, qui quidem supersunt, inde ab Augusto ad Antoninum Pium usque nulla neocoriae signa cernuntur. Augustus tamen *ΘΕΟC CЄΒΑCΤΟC* praedicatur[4]), ut in multis aliarum civitatium nummis. Simplex sive prima neocoria in lapidibus commemoratur, quorum aetas hinc ita certe constitui potest, ut saeculum quo sint inscripti, nosse possimus. Unus eorum titulorum haec habet: *ἐν τῇ πρώτῃ πατρίδι καὶ νεωκόρῳ Περγαμηνῶν κτλ.* alter haec: *ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος τῶν πρώτων νεωκόρων Περγαμηνῶν κτλ.*[5]). Sub Antonino Pio *ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΔΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ* in uno tantum nummo legitur, multis aliis alia inscriptione ornatis[6]). In nummis sub M. Aurelio cusis redit *ΔΙC ΝЄ.*, etiam *ΠΡΩΤΩΝ ΔΙC. ΝЄΩΚ.*, intermixtis aliis primae neocoriae titulo ornatis[7]). Nummi sub Vero signati *ΔΙC ΝЄΩΚ.* habent, quamquam pauci inter multos aliis litteris typisque insignitos[8]). Sub Commodo *B* seu *ΔΙC ΝЄΩΚ.* in plurimis conspicitur nummis, redeunte subinde primae neocoriae titulo[9]). Sept. Severo imperante eodem modo et *B.* et simplex *ΝЄΩΚ.* conspicitur[10]). — Nummi quattuor Iuliae Domnae nomine insignes litteris *Γ.* seu *ΤΡΙC ΝЄΩΚ.*, etiam *ΠΡΩΤΩΝ. ΤΡΙC. ΝЄΩΚ.* sunt inscripti[11]). Nummi plurimi sub Caracallo cusi *ΠΡΩΤΩΝ Γ.* seu *ΤΡΙC. ΝΕΩΚ.* habent, quamquam multis interpositis secundae et primae neocoriae titulo ornatis[12]). Getae nummi *B. ΝΕΩΚ.* ostendunt[13]).

4) T. II, p. 592, n. 546 seqq.
5) Boeckh. Corp. Inscr. n. 2189. 3548.
6) Mionnet T. II, p. 599. Suppl. T. V, p. 438 seq. n. 990.
7) Mionnet T. II, p. 600 seq. Suppl. T. V, p. 441 seq.
8) T. II, p. 603 seq. Suppl. T. V, p. 444 seq.
9) T. II, p. 604 seq. Suppl. T. V, p. 445 seqq.
10) T. II, p. 607 seq. Suppl. T. V, p. 456 seq.
11) T. II, p. 608 seq. Suppl. T. V, p. 457.
12) T. II, p. 609 seq. Suppl. T. V, p. 458 seq.
13) Ibid. p. 614. Suppl. T. V, p. 467.

Elagabali nummi tertiam, secundam et primam neocoriam prae se ferunt [14]). Nummi sub Alex. Severo cusi denuo tertiae neocoriae mentionem faciunt [15]). Omnes vero nummi sub Maximino et Maximo, ejus filio, sub Gordiano Pio, Traiano Decio, Herennio Etrusco, Hostiliano signati litteris *Γ. ΝΕΩΚ.* sunt inscripti, in quibus unus Corneliae Superae, Aemiliani uxoris, nummus simpliciter *ΠΕΡΓ. ΝΕΩΚ.* profert [16]). Sub Gallieno et *ΠΡΩΤΩΝ Γ. ΝΕΩΚ.* et simplex neocoria inscripta. Sub Salonina et Salonino rursus *Γ. ΝΕΩΚ.* [17]).

His tribus civitatibus Asiae primariis nonnullas alias adjungamus, quarum neocoriae multiplicatae promiscueque auctae et imminutae breviorem praebebunt conspectum. Nicomedensium nummi sub Alexandro Severo cusi *ΤΡΙϹ. ΝΕΩΚ*, sub sequentibus imperatoribus *ΔΙϹ*, sub Valeriano seniore atque Gallieno rursus *ΤΡΙϹ* ostendunt [18]). Secundam neocoriam Nicomedenses sine dubio jam Commodo imperante obtinuerant, cui templum ibi excitatum, ut supra expositum [19]). Quam secundam neocoriam nummi etiam testantur [20]). Eandem Sept. Severo imperante repetitam lapides inscripti testantur, in quibus Nicomedia *Ἀδριανὴ Σεουηριανὴ* appellatur [21]). Cyzicenorum nummi sub Caracallo cusi *ΔΙϹ ΝЄΩΚ.*, simpliciter *ΝЄ.*, rursusque *ΔΙϹ ΝЄ.* nobis ostendunt [22]). Sub Macrino, Diadumeniano, Severo Alexandro, Gordiano Pio, Gallieno, Claudio Gothico promiscue simplex et secunda neocoria in eorum nummis reperitur [23]). Primam illorum neocoriam complures lapides inscripti memorant:

---

14) Mionnet T. II, p. 614. Suppl. V, 467 seqq.
15) T. II, p. 615. Suppl. T. V, p. 469.
16) T. II, p. 616 seqq. Suppl. T. V, p. 470 seqq.
17) T. II, p. 618 seqq. Suppl. V, p. 474 seqq.
18) Mionnet T. V, Suppl. p. 209 seqq. 219 seqq.
19) V. supra §. 9.
20) V. supra §. 9.
21) Boeckh. Corp. Inscr. n. 3771. *ἡ μεγίστη καὶ μητρόπολις καὶ πρώτη Βειθυνίας τε καὶ Πόντου Ἀδριανὴ Σεουηριανὴ δὶς νεωκόρος Νεικομήδεια ἱερὰ καὶ ἄσυλος κτλ.*
22) Mionnet T. II, p. 546 seqq. Suppl. T. V, p. 339 seqq.
23) Mionnet T. II, p. 547 seqq. Suppl. T. V, p. 541—557.

γραμματεύοντος τῆς νεωκόρου βουλῆς Αἰμιλίου κτλ., et *ἐφηβαρχοῦντος τῆς λαμπροτάτης μητροπόλεως τῆς Ἀσίας Ἀδριανῆς νεωκόρου φιλοσεβάστου Κυζικηνῶν πόλεως κτλ.*[24]). In alio lapide Cyziceno *νεωκόρος τῆς μητροπόλεως* nominatur[25]).

Fluctuantem neocoriarum numerum Sardianorum nummi quam maxime ostendunt. De illis nummis prima, secunda, tertia neocoria inscriptis, quos in ordine a Mionneto observato ante Augustum imperantem collocatos videmus, nolo repetere, quae supra saepius monuimus. Neque enim neocoriae genus quale fuerit, neque aetatem, qua sint cusi, certo definire possumus. In nummis inde ab Augusto usque ad Traianum signatis nobisque servatis nullum neocoriae vestigium deprehenditur. Quum primam Sardiani neocoriam Hadriano, secundam M. Aurelio imperante, tertiam sub Caracallo impetrassent, illum numerum sub his et subsequentibus imperatoribus toties immutatum, auctum et imminutum videmus, quoties in nulla fere alia civitate. Sub Caracalla *B.* et *Γ. ΝЄ.* reperimus. Sub Macrino simpliciter *ΝЄΩΚ.*, sub Elagabalo *Γ.* et *B.*, sub Alex. Severo et Mamaea *B.*, sub Gordiano Pio et Tranquillina simpliciter *ΝЄ.*, sicut *B.* et *Γ. ΝЄΩΚ.*; sub Philippo seniore, Otacilia, Philippo juniore, Valeriano seniore, Gallieno, Salonina, Valeriano juniore promiscue *B.* et *Γ. ΝЄ.*, sicut simplex neocoria reperitur[26]). Milesiorum nummi post secundam neocoriam sub Elagabalo celebratam primam rursus sub sequentibus imperatoribus, quamquam parcius, ostendunt[27]).

In his omnibus, quae adhuc in medium protulimus, haud facile quidquam reperiri puto, quod sententiae nostrae de hoc fluctuante neocoriarum numero propositae reluctetur, quamquam in serie nummorum cujusque civitatis multae lacunae, quamquam hujus imperatoris plures sint nummi servati quam illius, quamquam hoc etiam concedi possit, calamitate alicujus civitatis sive bellis sive aliis infortuniis accepta neocoriae sol-

---

24) Boeckh. Corp. Inscr. n. 3663. 3665.

25) Ibid. n. 3496.

26) Mionnet T. IV, p. 118—141. Suppl. T. VII, p. 415—433.

27) Mionnet T. III, p. 172 seqq. Suppl. T. VI, p. 280 seq.

lemnia nonnunquam prorsus esse omissa vel in tempus opportunius dilata, nonnunquam etiam in bellis civilibus huic vel illi civitai neocoriae honorem esse ademtum, sicut nonnullis admodum sero concessum.

§. 14.

Dehinc ad alia quaedam cum hoc argumento arctissime conjuncta accedamus dilucidanda, nempe ad templa in nummis, qui ad neocoriam pertinent, frequenter conspicua. Nonnulli enim antiquitatis periti statuerunt, templorum numerum neocoriarum numero respondere, quae opinio permultis nummis potest refutari. Reperiuntur quidem nonnulli nummi civitatium neocorarum duabus neocoriis et duobus templis, tribus neocoriis ac tribus templis, quarta neocoria quattuorque templis ornati. Quodsi tot templa exstiterunt, quot nummorum imagines ostendunt, illa in civitatibus neocoris non certa lege atque necessitate erecta puto, sed magnificentiae studio impensis factis, quum opes sufficerent. Plurimi enim nummi nobis sunt conservati, qui contrarium luculenter demonstrant. Nummi tribus neocoriis insignes reperiuntur, uno tantum vel nullo templo addito: alii primam neocoriam simpliciter significant, duobus templis additis, alii duo vel tria templa ostendunt, nulla neocoria adscripta. Exemplis hoc illustremus atque confirmemus: Perinthiorum nummus unus in altero latere *ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. ΙΩΝΩΝ. Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ* inscriptus mulierem ostendit, dextra manu unum, sinistra alterum templum tenentem[28]). Hic igitur binis neocoriis bina respondent templa. At ejusdem civitatis complures exstant nummi, prima tantum neocoria, duobus vero templis insignes[29]). Cyzicenorum nummus sub Caracallo cusus binas testatur neocorias, uno tantum templo addito[30]). Unus Milesiorum nummus sub Elagabalo cusus *ΔΙC ΝЄΩΚ.* et duo templa ostentat, alius sub Gallieno signatus unum templum et nullam neocoriam[31]).

28) Mionnet T. I, p. 414, n. 333.
29) Ibid. p. 404, n. 275. 276.
30) Ibid. T. II, p. 547, n. 220.
31) T. III, p. 172, n. 801, p. 174, n. 811.

In tribus Nicomediae nummis secunda cernitur neocoria, uno tantum templo conspicuo[32]), quamquam ejusdem civitatis nummos secunda neocoria et duobus templis[33]), sicut alium tertia neocoria et tribus templis insignem noverimus[34]). Quin haud pauci reperiuntur nummi civitatium nulla neocoria ornatarum, qui nihilominus unum vel plura templa adumbrata habent, ut Pessinuntiorum nummus sub M. Aurelio cusus[35]). Ita Nicaeensium nummo neocoria carenti templum additum: eodem modo Macedonum et Milesiorum nummi templo ornati, omni tamen neocoriae signo destituti[36]). Unus Ephesiorum nummus nullius neocoriae titulo insignis tribus tamen templis est instructus[37]). Ita reperiuntur nummi et tertia et quarta neocoria atque uno tantum templo ornati[38]). Sufficere possunt haec exempla, ut inde intelligamus, templa in nummis adumbrata minime neocoriarum numero respondere, quod falso plures rei nummariae periti opinati sunt. Nec facile fieri potuit, ut quaeque civitas tot templa quot neocorias haberet, quoniam ingens sumptus ad tot templa erigenda necessarius minoribus oppidis tertiam neocoriam adeptis admodum gravis fuisset et perniciosus. Initio quidem, quum primae civitatium neocoriae instituerentur, necessario templum novum erat excitandum, in quo imperator adorari atque coli posset. Secunda vero atque tertia neocoria impetrata, non necesse erat, ut secundum et tertium templum erigeretur, sed primum illud templum sufficiebat ad omnes tres neocorias celebrandas. Hoc quidem de minoribus civitatibus. Aliter res sese habebant in maximis illis ac primariis Asiae

32) Suppl. T. V, p. 193, n. 1137. 1138. — Cf. T. II, p. 472, n. 337.

33) Ibid. p. 193, n. 1139. Cf. T. II, p. 474, n. 349.

34) T. II, p. 473, n. 347.

35) Ib. Suppl. T. VII, p. 645, n. 68.

36) Ibid. T. II, p. 457, n. 255. p. 473. T. I, p. 460, n. 70. Suppl. T. VII, p. 272, n. 1248.

37) T. III, p. 106.

38) Ibid. T. II, p. 475. — Ita Smyrnensium nummus Γ. ΝΕ. inscriptus cum parvulo templo: Suppl. T. VI, p. 369, n. 1845. Alius sub Gordiano Pio cusus tertia neocoria insignis unum tantum templum quattuor columnis ornatum ostendit: Mionnet Suppl. T. VI, p. 366, n. 1831

urbibus, quibus opes erant ad tot templa erigenda quot neocorias impetraverant. Quodsi in his civitatibus, testibus nummis, tot templa quot neocorias reperimus, id non certa praescriptave lege, sed voluntaria munificentia splendorisque ostentandae cupiditate factum existimamus. Nam quin liceret nova neocoria impetrata novum excitare templum, nihil impedimento esse poterat, si modo cives satis opulenti essent atque a sumptu erogando non abhorrerent. Ceterum templorum illorum imagines nummi praebent diversissimas. Templa nempe conspicimus duabus, quattuor, sex, octo, decem columnis ornata (distyla, tetrastyla, hexastyla, octostyla, decastyla), plerumque a fronte, nonnunquam transversa parte delineata. Opulentae civitates templa ampla et splendida, reliquae plerumque minora, delubra, fana aedificarunt[39]).

§. 15.

His expositis ad aliud argumentum paullo impeditius nobis est transeundum, nempe quinam fuerint illi viri, quot fuerint vel quale illud in civitatibus neocoris fuerit collegium, cui neocoriae curandae munus sit injunctum. Nam adesse oportebat, ad quos templi cura atque tutela pertinerent, a quibus essent sacrificia, solemnia, ludi instituendi, ad quos omnia redirent, quaecunque ad neocoriam spectarent. Haec quaestio minime in promptu posita antiquiora tempora nos paullulum respicere jubet. Plato jam *νεωκόρους* commemorat eosque ut sacerdotes magnae dignitatis designat[40]). Nemo, ut arbitror, facile dubitaverit, philosophum illum munus nomenque *τῶν νεωκόρων* non finxisse, sed in iis civitatibus, quarum rem publicam, sacra, templa maxime respexit, invenisse. Quaecunque civitas numen aliquod prae ceteris sanctissime colebat atque tutelare habebat, eique tem-

39) Nummorum templis ornatorum imagines diversissimas praebet Spanhemius de praest. et usu numm. T. II, p. 643 seqq.

40) Legg. VI, p. 759 a—c: *Λέγωμεν δὴ τοῖς μὲν ἱεροῖς νεωκόρους τε καὶ ἱερέας καὶ ἱερείας δεῖν γίγνεσθαι,* — — et: *καταστατέον ἱερέας τε καὶ ἱερείας, νεωκόρους γίγνεσθαι τοῖς θεοῖς.* Antiquior hujus vocis mentio mihi haud erat obvia. —

plum ceteris amplius splendidiusque erigere solebat. — Verisimile igitur ejusmodi templo praeter alios sacerdotes jam Platonis aetate hic illic *νεωκόρους* praefuisse, ut Dianae templo apud Ephesios, Aesculapii apud Pergamenos, Junonis apud Samios et Argivos, Nemeseos apud Smyrnenses, Dianae Leucophrynae apud Magnetes. Mirum tamen eorum mentionem apud vetustiores scriptores, Platoni aequales et paullo seriores, esse perquam raram. Xenophon Dianae Ephesiae neocorum commemorat, Megabyzum nempe, cui ipse argentum asservandum tradiderat, quam *παρακαταθήκην* ei postea Megabyzus restituit[41]). Imperatorum demum aetate in nummis lapidibusque nec non in veterum scriptorum libris nonnunquam *νεωκόροι* templorum diis consecratorum reperiuntur, multis quidem illi titulis honoribusque ornati et praeter neocoriam multis aliis muneribus functi[42]). — Videamus primum lapides vetustos: *Νεωκόρος* apud Cyzicenos in duobus memoratur titulis: *νεωκόρος τῆς λαμπροτάτης Κυζικηνῶν μητροπόλεως κτλ.*, qui quidem non ad numinis, sed ad imperatoris alicujus neocoriam spectat[43]). Alio in lapide *νεωκόρος τῆς Ἀρτέμιδος τῆς Λευκοφρυνῆς* memoratur[44]). Ita *νεωκόρος τῶν μεγάλων θεῶν Νεμεσέων* in lapide vetere T. Flavius Onesimus Paternianus nuncupatur[45]). *Νεωκόρος τοῦ μεγάλου Σαράπιδος* in pluribus memoratur inscriptionibus[46]). Complures neocori in nummis imperatorum aetate cusis reperiuntur: *ΜΗΝΟΔΟΡΟϹ ΝЄ. ΑΝΚΥΡΑΝΩΝ* (*ΝЄ.* ante *ΑΝΚ.* non ad Ancyranos, sed ad Menodorum referendum) in nummo Ancyrano[47]). *ΜΑΡ. ЄΥΓЄΝΟΥϹ. ΝЄΩΚΟΡΟΥ. ΑΙΓЄΩΝ* in nummo Aegeensium[48]). *ЄΠΙ. ϹΤΡ. ΠЄΔΑΩΝΙΟΥ. ΝЄ.*

---

41) Xenoph. Anab. V, 3, 6. Cf. §. 4—8.

42) Praesertim seriore imperatorum aetate, qua neocorus et *ἀρχιερεὺς, πρύτανις ἐπώνυμος, ἀγωνοθέτης, ξυστάρχης* nonnunquam appellatur. Cf. Vandale Diss. IV, p. 303 seqq.

43) Boeckh. C. Inscr. n. 3484. 3496.

44) Boeckh. C. Inscr. n. 2561, 6. Add. et Corrig. T. II, p. 1102.

45) Cf. Marm. Oxon. n. CXVI, p. 148, et Vandale Diss. IV, p. 301.

46) Spon. Misc. crud. ant. p. 340. n. LX. Cf. Vandale l. c. p. 300 seq.

47) Pellerin. T. II, p. 281. Eckh. T. IV, p. 291.

48) Mionnet T. III, p. 545, n. 43. et Suppl. T. VII, p. 163, n. 63.

ЄΛΑΙΤΩΝ, atque *ΕΠΙ. ΙΟΥ. ΚΟΔΡΑΤΟΥ. ΝЄΩ. ΑΡ. ΚΟΤΙΑΙΩΝ*[49]). In nummo Adramytii Mysiae *ЄΠ. CTP. ΑΥΡ. ΓΑΡΟΥ. Β. ΝЄΩΚόρου*[50]). *ЄΠΙ ΙΟΥ. CЄΥΗΡЄΙΝΟΥ. ΑΡΧ. Γ. ΝЄΩΚΟΡΟΥ* in nummo Aezanis Phrygiae[51]). *ΤΥΧΙΚΟΥ. Β. ΝЄΩΚΟΡΟΥ* in nummo Magnesiae Ioniae[52]). *ЄΠΙ. CTP. ΚΛ. CTPΑΤΟΝЄΙΚΙΑΝΟΥ ΝЄΩΚΟΡου* in nummo Thyatirae Lydiae[53]). *ЄΠΙ ΝЄΩΚΟΡΟΥ. ΠЄΔΙΑC. CЄΚΟΥΝΔΗC* in nummo Eucarpiae Phrygiae[54]). In titulorum Delphicorum uno *Ἄρχων καὶ ὁ νεωκόρος Μένης* commemoratur[55]). Aristides *νεωκόρον* in templo Aesculapii Lebedi memorat[55b]), complures vero in templo Apollinis Delii[55c]). E quibus documentis abunde elucet, exstitisse viros neocoria praeditos, qui civitatis neocorae vicem sustinerent muniaque imposita rite obirent. Antiquiore aetate deorum tantum dearumve exstiterunt neocori, sub imperatoribus vero et numinum et imperatorum. Seriore quidem aetate, praecipue inde ab Antoninis, neocori dignitas erat maxima. In universum illo tempore haud mediocris dignitatum, honorum titulorumque seges erat exorta, cujus non tam veteres scriptores, quam magistratuum indices lapidibus inscriptos veteresque nummos sub imperatoribus cusos habemus testes[56]).

---

49) Mionnet T. III, p. 16, n. 95. T. IV, p. 270, n. 435.

50) Eckhel. Doctr. T. IV, p. 291.

51) Eckhel ibid.

52) Eckhel ibid.

53) Eckhel l. c.

54) Eckh. l. c.

55) Curt. Anecd. Delphic. p. 57, n. 3. et p. 58, n. 7 *καὶ ὁ νεωκόρος Μένης*. In sequentibus titulis hic *Μένης* saepius memoratur sine neocoriae mentione, ut n. 11. 14. 17. 23. all. Hic sacerdos neocorus Apollinis Delphii erat.

55b) Orat. XXV, *ἱερ. λογ. Γ.* p. 491. T. I. ed. Dind. p. 494.: *ἐπέρχεται ὁ νεωκόρος ὁ Ἀσκληπιακός.*

55c) Ibid. p. 516. *λογ. Δ. συνεδόκει καὶ τῷ ἱερεῖ καὶ τοῖς νεωκόροις κτλ.*

56) Huc pertinent e. c. *Ζάκοροι* et *Ὑποζάκοροι*, *Σεβαστοφάνται* quasi *ἱεροφάνται τῶν Σεβάστων*, et multa alia nomina. Cf. Plutarch. Cam. c. 30. Themist. Orat. IV, p. 64. ed. Dind. — Haud exigua pars illorum

Praeterea e lapidum titulis nonnullis conjecturam facere licet, aliquando neocororum collegium exstitisse eique unum aliquem quasi rectorem praesidemve suprema auctoritate instructum praefuisse [57]). Caracalli et Elagabali aetate maxime tale collegium locum habuisse putaverim. In illis lapidibus inscriptis *κράτιστος νεωκόρος* et *πρεσβύτατος τῶν νεωκόρων Σαράπιδος* nominantur [58]). Quod ad Sarapidis cultum apud Aegyptios attinet, Iul. Firmicus refert: „Hujus numinis simulacrum a neocororum turba esse custoditum" [59]). Quum ex his verbis tum ex Theodoreti duobus locis divinare licet, aut duplex neocororum exstitisse genus, alterum quidem summae dignitatis, alterum inferioris ordinis (ut apud Romanos pontificem maximum et minores pontifices: Liv. XXII, c. 57): aut famulos neocoris subditos nonnunquam eodem nomine esse insignitos. Theodoretus, qui initio quinti post Chr. saeculi vixit, neocoros Antiochenses apud Daphnem commemorat eorumque duplex describit officium: *Νεωκόρω γὰρ ἤστην τὰ βασιλέως ἐδέσματα περιῤῥαίνοντες:* atque *εἱστήκεισαν νεωκόροι περιῤῥαντηρίοις τοὺς εἰσιόντας προκαθαίροντες, ὡς ἐνόμιζον* [60]). Altero quidem officio (cibos nempe quos imperatori Romano apponebant aqua lustrali aspergendi) fungi neocoris summae dignitatis satis erat decorum. Alterum vero ministerium (introeuntes aqua lustrali aspergendi) per ministros templorum neocoris praesentes obiri fortasse magis decorum. — Quodsi neocororum collegium in nonnullis civitatibus exstitit, sine dubio unus ei erat praefectus, sive *κράτι-*

---

titulorum ex imperatorum Romanorum cultu, praecipue inde ab Antonini Pii aetate, erat exorta.

57) Nec Eckhelius dubitavit de neocororum collegio l. c.

58) Gruter. Inscr. p. CCCXIV, 1. Quamquam titulo *κράτιστος* alii etiam viri diversis muneribus praediti in lapidibus inscriptis ornantur. Cf. Boeckh. C. Inscr. n. 2790. 2791. 2981.: *τὸν κράτιστον ἐπίτροπον τοῦ Σεβαστοῦ.* —

59) De error. prof. relig. c. 14.: Apud Aegyptios neocoros plurimos exstitisse verisimile est. Nam maxima illa atque sanctissima templa Isidis, Osiridis, Sarapidis aliorumque hujus gentis numinum neocoris quam maxime indigebant.

60) Histor. eccl. III, 14. 16.

στος ille sive *πρεςβύτατος* dictus. — Ubi vero nullum institutum fuerat collegium, sine dubio neocorus ille, ad quem summa neocoriae administrandae cura redibat, hominibus inferioris ordinis erat stipatus, quibus ministeria viliora essent peragenda. Tales fortasse illi fuere, qui in lapidis titulo metris incluso commemorantur: *καὶ δύο τῆς αὐτῆς γενετῆς ἐνὰ θέσμον ἔχοντες, οἷσι μέμηλε κλυτῆς ἔργα νεωκορίης*[61]). Horum quidem ministerium antiquissimae *τοῦ νεωκόρου* notioni respondere videtur[62]). Seriore aetate imperatoris alicujus neocorus nonnunquam simul numinis alicujus sacerdos appellatur. Utrumque munus in vetere lapide conjunctum reperitur: *Ο ΙΕΡΕΥΣ ΤΟΥ ΘΕΟΥ ΚΑΙ ΝΕΩΚΟΡΟC ΤΟΥ ΣΕΒΑCΤΟΥ*[63]). Minime tamen probabile quod Stoschius opinatus est: „Sed ad alterum accedamus neocorum Caesareum, nempe quem jam nominavi, Claudium Alfenum Arignotum, qui praeterea nos docet, neocoros hosce aeque ac alios quos jam vidimus sacerdotes, plurium quoque civitatium neocorias simul conjunxisse. Eundem enim in eodem marmore *νεωκόρον τῆς λαμπροτάτης Κυζικηνῶν πόλεως* et *σεμνότατον ἱερέα τοῦ προπόλεως Τυρίμνου* Thyatireni laudant“[64]). — Neocorus imperatoris quidem simul alicujus dei sacerdos esse potuit, nec tamen plurium civitatium neocorus, cujus conjuncti muneris nulla exempla obvia. Nam in illo titulo Thyatireno Arignotus non Thyatirae sed Cyzici neocorus Augusti designatur, quod Boeckhius jam annotavit[65]). — Postremis imperatorum temporibus Romae etiam neocorus reperitur, ut vetus inscriptio docet, Valentiniano Augusto III. et Eutrop. Coss. a. u. 1140 dedicata: Vettio Agorio Pontifici

---

61) Gruter. Inscr. p. LXXXV, 5. Vandale Diss. IV, p. 307.

62) Suid. v. *νεωκορήσει*, p. 2578 ed. Gaisford: *ἐνίοτε ἀντὶ τοῦ ἱεροσυλήσει, κορεῖν γὰρ λέγουσι τὸ καλλύνειν, τὸ σαροῦν καὶ ἐκκαλύνειν. — νεωκόρος ὁ τὸν ναὸν κοσμῶν καὶ εὐτρεπίζων.* Postrema verba jam ad majorem *τοῦ νεωκόρου* dignitatem et ad serioris temporis officium respicere videntur.

63) Vandale Diss. IV, p. 301.

64) Antiquit. Thyatiren. I, 7, 29.

65) C. Inscr. n. 3484. et not. ad n. 3496. Eundem errorem, quem Stoschius, Eckhelius etiam commisit (Doctr. numm. I. c.).

Vestae, Pontifici Solis, Quindecimviro, Auguri, Tauroboliato, Ceriali, *Neocoro*, Hierophantae, Patri sacrorum[66]).

§. 16.

Ut permulta cum neocoriae descriptione arctissime cohaerent, ita disquisitio de civitatium neocorarum principatu sive de *πρωτείᾳ*, cujus signum earum nummis neocoriam testantibus saepissime adscriptum cernitur. — Civitates enim Asiae principes secundam, tertiam, quartam neocoriam adeptae haud erant contentae, hunc neocoriarum numerum auctumque honorem nummis cusis significasse, sed dignitatis amplificandae studio *ΠΡΩΤΟΥC* etiam sese appellabant nummisque perinde ac lapidibus hunc titulum inscribere solebant. Initio quidem nihil aliud hac voce demonstrare voluerunt, nisi *ἀξίωμα* maximum inter ejusdem provinciae regionisve oppida, nulla neocoriae ratione habita, quum ille quem sibi adrogabant principatus aut magnitudine urbis, aut opulentia, aut vetustate esset acquisitus, aut his omnibus niteretur. Verumtamen posteaquam permultae civitates mediocri dignitate praeditae atque nulla re insignes neocoriae titulum erant consecutae, urbes principes illis praestare voluerunt atque haud sine jactantia quadam eximia in nummis lapidibusque sese *ΠΡΩΤΟΥC* appellare coeperunt. Immo seriore imperatorum aetate haec vox eandem pene nacta est significationem, quam vox *μητρόπολις* paullo ante jam obtinuerat[67]). Nonnunquam *μητρόπολις* et *πρώτη* in nummis conjunctae cernuntur, ut *ΝΕΙΚΟΜ. Η. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC ΚΑΙ ΠΡΩΤΗ ΒΕΙΘΥΝΙΑC*[68]). Lapis vetustus pleniorem praebet

---

66) Gruter. Inscr. p. MCII, 2.

67) Procop. de bell. Vandal. I, 4.: *Μαυριτανίας πρώτη*, de Caesarea Mauretaniae secundae metropoli. Ita ab Eunapio Antiochia *πρώτη πόλεων* dicitur. Ita Tyrus *ἡ πρώτη τῶν ἀρχαιοτάτων Φοινίκων ἡ πόλις*. Cf. Procop. de aedif. V, 4. Spanhem. de praest. et usu numm. T. I, p. 632 seqq. Vox metropolis enim primariam suam et antiquissimam significationem non ubique retinuit, sed plerumque nihil aliud nisi principem alicujus provinciae urbem vel provinciae caput significabat.

68) Cf. Spanhem. de praest. et usu numm. T. I, 9, p. 633.

titulum hunc: *Ἡ μεγίστη καὶ μητρόπολις καὶ πρώτη Βειθυνίας τε καὶ Πόντου Ἀδριανὴ Σεουηριανὴ δὶς νεωκόρος Νεικομήδεια ἱερὰ καὶ ἄσυλος κτλ.* [69]). In illam de principatu obtinendo contentionem mutuam Ephesus, Smyrna, Pergamum maxime inciderunt, quod nummi earum civitatium superstites plurimis testantur exemplis, ut *ЄΦЄCIΩN. ΠΡΩΤ. ACIAC*, et *MONΩN ΠΡΩΤ. ACIAC*, et *ΔIC NЄΩKOPΩN ΠΡΩΤΩN ACIAC*: qui tituli multis in nummis sub M. Aurelio sequentibusque imperatoribus cusis obvii[70]). Iisdem titulis gloriosis sese Smyrna ornare solebat: *CMYPNAIΩN ΠΡΩΤΩN ACIAC*, et *CMYPNAIΩN ΠΡ. ACIAC Γ. NЄ. ΤΩN. CЄB.* [71]). Uberiores inscriptiones marmorum Oxoniensium: *Ἡ πρώτη τῆς Ἀσίας κάλλει καὶ μεγέθει καὶ λαμπρωτάτη καὶ μητρόπολις καὶ γ' νεωκόρος τῶν Σεβάστων κατὰ τὰ δόγματα τῆς ἱερωτάτης συγκλήτου καὶ κόσμος τῆς Ἰωνίας Σμυρναίων πόλις κτλ.* [72]). Pergameni et in nummis et in lapidibus inscriptis his titulis ornati prodeunt: *ΠЄΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΠΡΩΤΩN TPIC. NЄΩKOPΩN*, quae verba in permultis nummis leguntur[73]). Lapis Pergamenus ita est inscriptus: *ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος τῶν πρώτων νεωκόρων Περγαμήνων κτλ.* [74]). Plenior titulus in nummis hic: *Ἡ πρώτη τῆς Ἀσίας καὶ μητρόπολις πρώτη καὶ τρὶς νεωκόρος πρώτη τῶν Σεβάστων Περγαμήνων πόλις* [75]). Hinc factum, ut Aristides has primarias civitates de vanis titulis magna contentione certantes increparet et ad concordiam cohortaretur[76]): ...... „*καὶ τὰς πόλεις — — — τὰς περὶ τοῦ πρωτείου νῦν ἁμιλλωμένους, καὶ παρ' ὧν ἡ πλείστη τῆς ἔριδος*

69) Cf. Boeckh. C. Inscr. n. 3771.

70) Mionnet T. III, p. 101. 110 seqq.

71) Mionnet T. III, p. 248. 252, n. 1401. 1425.

72) Marmor. Oxon. p. 277. Cf. Vandale Diss. IV, p. 324. — Elucet ex his, urbem Smyrnam Ioniae fuisse principem atque inter civitates neocoras primum locum obtinere voluisse.

73) Mionnet T. II, p. 609, n. 619. p. 616, n. 656. 659 seqq.

74) Spon. Itiner. T. III, p. 140. 141. Boeckh. C. Inscr. n. 3548.

75) Mionnet T. V, Suppl. p. 459, n. 1101.

76) Orat. de concord. urb. T. II, p. 302 seq. (T. I, orat. XLII, p. 771. 776. 790. ed. Dind.).

ἀρχὴ συμβαίνει κτλ. — — καὶ ταῖς πόλεσι ταῖς τοῦ πρωτείου ἀντιποιουμέναις κτλ. — — — — —. Alio loco: θαυμάζω δὲ, ὅτι σεμνύνεσθε μὲν οὐχ ἥκιστα τοῖς ναοῖς καὶ τοῖς ἀγῶσιν, οὓς ὡς κοίνους νομίζετε, ὑπὲρ δὲ αὐτῶν τούτων διεστήκατε· καίτοι ὅταν οἷς ὡς κοινοῖς ἀγάλλεσθε, ὑπὲρ τούτων ἐρίζητε, ὑπὲρ τοῦ λοιπὸν ταῦτα φρονήσετε." — Philostratus etiam mutui illius certaminis meminit: ——— „ἤριζεν δὲ Σμύρνα ὑπὲρ τῶν νήων καὶ τῶν ἐν αὐτοῖς δικαίων, ... ἀπῆλθεν ἡ Σμύρνα ἡ ΠΡΩΤΕΙΑ νικῶσα[77]). Quum Smyrnae illo tempore complures florerent sophistae scholasque haberent et rhetoricas et philosophicas, sine dubio hoc argumentum ab iis saepius est tractatum.

Mutua illa civitatium contentio superbiores quosdam procreavit titulos, quales illi Ephesiorum: *Η ΠΡΩΤΗ ΤΗC ΑCΙΑC ΚΑΛΛΕΙ ΚΑΙ ΜΕΓΕΘΕΙ;* atque: *ΜΟΝΩΝ ΑΠΑCΩΝ ΤЄΤΡΑΚΙ ΝЄΩΚΟΡΩΝ*, quae jactantia in nummis lapidibusque sub Caracalla, Elagabalo, Alex. Severo maxime invaluerat[78]). Huc illud etiam pertinet: *ЄΦЄCΙΩΝ. Δ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑΠΑCΩΝ ΚΑΙ ΜЄΓΙC.*[79]). Sub Antonino Pio illa Ephesiorum, Smyrnensium atque Pergamenorum mutua aemulatio, ipso fortasse imperatore hortante, composita esse videtur, quod ex hac nummorum inscriptione colligi licet: *CΜΥΡ. ΠЄΡΓ. ΕΦΕCΙΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ*[80]). Nihilominus subsequente tempore mutuae invidiae atque contentionis ignis est resuscitatus, quod multi nummi testantur. — Certamen plane simile inter Nicomediam et Nicaeam exortum esse, multis nummorum titulis docemur: *ΝΕΙΚΟΜ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC ΚΑΙ ΠΡΩΤΗ ΒΕΙΘΥΝΙΑC*, et *ΝΕΙΚΑΙΕΙΣ ΠΡΩΤΟΙ ΤΗC ΕΠΑΡΧΙΑC*[81]). Contentione magis magisque incensa Nicomediae nummi ita sunt inscripti: *ΝΙΚ. ΜΗΤΡΟ. ΠΡΩΤ. ΠΟΝΤ.*

---

77) Vit. Sophist. I, p. 538. Olear.

78) Cf. Mionnet T. III, p. 112, n. 380, p. 114, n. 394.

79) Mionnet T. III, p. 112, n. 379.

80) Spanhem. de praest. et usu numm. T. I, p. 640. Mionnet T. III, p. 99.

81) Cf. Spanh. l. c. T. I, p. 633. Mionnet T. II, p. 469 seqq. et p. 451 seqq.

ΚΑΙ ΒΕΙΘΥΝΙΑϹ; atque *ΝΕΙΚ. ΠΡΩΤ. ΒΙΘ. ΚΑΙ ΠΟ. ΡΩΜΗΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΝ*[82]). Nicaeenses titulum suum *ΠΡΩΤΟΙ ΤΗΣ ΕΠΑΡΧΙΑΣ* plerumque retinuerunt[83]), quamquam nonnulli eorum nummi *ΝΕΙΚΑΙΕΙϹ. ΠΡΩΤ. ΠΟΝΤ. ΚΑΙ Β.* inscripti[84]). Sub Valeriano seniore atque Gallieno in Nicaeensium nummis *ΜЄΓΙϹΤΩΝ. ΑΡΙϹΤΩΝ. ΝΙΚΑΙЄΩΝ*, solum etiam *ΑΡΙϹΤΩΝ ΝΙΚ.* reperitur[85]). Praeter has urbes insigniores Amasia etiam atque Heraclea Ponti principatum et gloriam haud mediocrem sibi vindicare voluerunt, altera *ΑΜΑ-ϹΙΑ ΜΗΤΡ. ΝЄ. ΠΡ. ΠΟΝΤ.*, altera *ΝЄΩΚ. Τ. ΠΟΝ-ΤΟΥ* in nummis designata[86]). — Side, Pamphyliae urbs nobilissima, Pergae tamen postponenda, haud sine gloriolae captatione manifesta hunc nummis impressit titulum: *ΠΡΩΤΑ. ΠΑΜΦΥΛΩΝ ϹΙΔΗΤΩΝ*, et *ϹΙΔΗΤΩΝ ΛΑΜΠΡΩΤΑ-ΤΗϹ ΕΝΔΟΞΟΥ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ*[87]). Ex his omnibus inscriptionibus elucet, illam πρωτεῖαν a civitatibus expetitam atque nummis lapidibusque inscriptam tum latiorem tum angustiorem habuisse significationem, prout regio, ad quam pertinebat, sive provincia major minorve, prout plura pauciorave oppida. Nam sicut Ephesii, Pergameni, Smyrnenses de principatu in Ionia

82) Mionnet Suppl. T. V, p. 174. 175. Cf. inscriptionem lapidis supra memoratam.

83) Cf. Mionnet Suppl. T. V, p. 85 seqq.

84) Mionnet l. c.

85) Mionnet Suppl. T. V, p. 160. 164. 165. n. 929. 556. 962.

86) Mionnet T. II, p. 442 seq. n. 177, et p. 337, n. 19. 20.

87) Mionnet T. III, p. 485, n. 226. 227. Ceterum in Asiae civitatibus hoc saepius obvium, ut oppidi alicujus dignitas, prout magnitudo, opulentia, vetustas, gloria bellis aliisque rebus gestis parta, numero designetur, ut nimirum prima, secunda, tertia alicujus regionis vel provinciae dicatur. Ita Aspendus Pamphyliae, quamquam εὐανδροῦσα ἱκανῶς, a Strabone tamen πόλις αὕτη τρίτη τῶν ἐκεῖ dicitur. Perga nempe atque Side majoris erant dignitatis. Strab. XII, p. 667. XIV, 5, 667. Casaub. — Side metropolis et secunda Pamphyliae in notit. eccles. dicitur. Vid. Spanhem. de praest. et usu numm. I, p. 659. — Strabo XVII, I, 813. Cas. de Aegypti oppidis: ἡ Ἄβυδος πόλις μεγάλη, δευτέρουσα μετὰ τὰς Θήβας. — Magnesia in nummo sub Gordiano Pio cuso sese nuncupat *ЄΒΔΟΜΗΝ ΤΗϹ ΑϹΙΑϹ*, apud Mionnet T. III, p. 156. 695.

vel tota Asia (quantum nempe provincia Romana complectebatur), inter sese contenderunt, ita aliae civitates in aliis regionibus Romae obnoxiis, ut Nicomedia et Nicaea, primas sese haberi voluerunt atque in nummis lapidibusque se *ΠΡΩΤΑC* appellabant, cujus studii admirabilem nummorum copiam locupletem testem habemus.

§. 17.

Illis quae de civitatium principatu expetito exposuimus, alia quaestiuncula est adjungenda de metropolis nomine in iis nummis saepissime obvio, qui neocoriae titulum ostentant. Complures enim civitates neocorae metropolis etiam sibi titulum vindicaverant sive ab imperatore senatuve impetraverant. Metropolis antiquitus nulla urbs est appellata, nisi coloniarum mater, quae sicut mater filias, ita alias civitates, alia oppida quasi ex sese procreasset, ut Miletus se designat *μητρόπολιν πολλῶν καὶ μεγάλων πόλεων κτλ.*[88]). Quae significatio multa per saecula ita est conservata, ut nihil inde detraheretur, nihil adderetur, donec sub imperatoribus metropolis jura ac privilegia a plurimis Asiae aliarumque regionum oppidis expeti coeperunt. Inde ab eo tempore metropoles dicuntur *πρῶται πόλεων, πρωτεύουσαι, ἄρχουσαι, αὐτοκρατορίδες*, urbes nempe, quae magnitudine atque opulentia cujusque regionis atque provinciae erant primae, capita gentium, *κεφαλαὶ τῶν ἐθνῶν*[89]). Macedonia in quattuor partes divisa, capita regionum, ubi concilia haberentur, Amphipolis, Thessalonice, Pella, Pelagonia facta[90]). Caput hoc loco eandem fere habet significationem quam metropolis. Seriore tamen imperatorum aetate civitates nonnullae jus et nomen metropoleos sunt adeptae nummisque hoc inscribere solitae, quae minime in maximis numerandae, ut Anazarbus Ciliciae in nummo sub Valeriano seniore cuso: *ANAZAPB. MH-*

88) Boeckh. Corp. Inscr. n. 2878.

89) Procop. de aedif. V, 4: *ἀφ' οὗ δὴ καὶ εἰς μητροπόλεως ἀξίωμα ἦλθεν· οὕτω γὰρ τὴν πρώτην τοῦ ἔθνους καλοῦσι Ῥωμαῖοι.*

90) Liv. XXXXV, 29.

ΤΡΟΠΟΛ. ЄΤ. ΒΟC (anno 272)[91]). Illo enim tempore vetus illa *τῆς μητροπόλεως* significatio jam prorsus evanuerat et insignior quaeque opulentiorve cujusque provinciae urbs illud sibi cognomentum vindicabat. — Celebriores *τῶν μητροπόλεων* in lapidibus nummisque memorantur Ephesus (*ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος τῆς πρώτης καὶ μεγίστης μητροπόλεως τῆς Ἀσίας — νεωκόρου τῶν Σεβαστῶν κτλ.*)[92]), Nicomedia Bithyniae (*ΝΕΙΚΟΜΗΔΙΑ. Η. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC ΚΑΙ ΠΡΩΤΗ. ΒΕΙΘΥΝΙΑC*[93]), quamquam Heraclea etiam ejusdem provinciae metropolis dicta[94]). Posteaquam vero Bithynia sub imperatoribus Christianis in duas partes erat divisa, primae Bithyniae Nicomedia, secundae Nicaea metropolis est facta[95]), Tyrus Phoeniciae metropolis in lapide apud Gruterum dicitur (*ΤΥΡΙΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΦΟΙΝΕΙΚΗΣ ΚΑΙ ΑΛΛΩΝ ΠΟΛΕΩΝ*). In nummis *ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩC ΙЄΡΑC*, addito etiam *ΚΑΙ ΑCΥΛΟΥ*[96]). Amasia metropolis, neocora, prima Ponti dicitur in nummo sub Antonino Pio cuso: *ΑΜΑC. ΜΗΤ. ΝЄ. ΠΡ. ΠΟΝ. ЄΤ. ΡΠΘ* (anno 189)[97]). Tarsus Ciliciae in compluribus nummis metropolis nuncupata (*ΑΔΡΙΑΝΗ. ΚΟΜΟΔΙΑΝΗ. ΤΑΡCΟC ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC*, etiam *ΤΑΡΣΕΩΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ*[98]). Ancyra Galatiae metropolis (*ΜΗΤΡ. ΑΝΚΥΡΑC. Β. Ν.*)[99]). Sardes Lydiae in nummo a Spanhemio in medium prolato et metropolis et bis neocora appellatur[1]), quem tamen nummum Mionnetus silentio praeteriit. In

91) Mionnet T. III, p. 556 seq.
92) Boeckh. Corp. Inscr. n. 2988. 2992.
93) Spanhem. de praest. et usu numm. I, 633. Mionnet T. III, p. 469 seqq.
94) Mionnet Suppl. T. V, p. 38 seqq.
95) Spanhem. diss. IX, T. I, p. 599 seqq.
96) Spanhem. l. c. I, p. 578. Mionnet Suppl. T. VIII, p. 299 seqq. n. 294 seqq.
97) Mionnet T. II, p. 335, n. 6. 7.
98) Mionnet T. III, p. 620 seqq. Suppl. T. VII, p. 256. 393 seqq.
99) Mionnet T. IV, p. 386, n. 77 seqq.
1) Spanhem. T. I, p. 618, c. 9.

Sardianis nummis hic etiam reperitur titulus: *MΗΤΡΟΠΟΛΕΩC ΑCΙΑC ΛΥΔΙΑC. ΕΛΛΑΔΟC*[2]). Antiochia Syriae et apud scriptores et in nummis metropolis appellatur[3]). Samosata metropolis Commagenes dicuntur[4]). Antiochia ad Orontem eodem modo metropolis dicta[5]). Damascus metropolis nec non colonia in nummis appellata reperitur[6]). Ita Philippopolis Thraciae metropolis, deinde colonia nuncupatur: *ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC. ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΩC. ΝΕΩΚΟΡΟΥ*[7]) in nummo sub Elagabalo cuso; *ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙΤΩΝ ΚΟΛΩΝΙΑC* S. C. in nummo Philippi senioris[8]). — Seriore tempore quum imperium Romanum labantibus jam viribus nutare suaque ipsius mole premi coepisset, nonnunquam una provincia major in duas partes divisa plures nacta est metropoles, quam dividendi rationem Claudianus verbis perstrinxit gravissimis[9]):

Provincia quaeque superstes
Dividitur, genuinum duplex passura tribunal
Cogitur alterius pretium sarcire peremptae.
Sic mihi restituunt populos, hac arte reperta
Rectorum numerum terris pereuntibus augent.

Ita sub Byzantinis Caesaribus Berytus etiam atque Sidon metropoleos jus et titulum sunt consecutae, quum antea Tyrus tantum eo gauisa esset[10]). Illo tamen tempore neocoria dudum erat sublata.

2) Spanh. T. I, p. 620. Ἑλλὰς ibi nempe Graeciam Asiaticam significat, quum primariae Asiae minoris urbes, praesertim circa oram maritimam sitae, Graecae essent originis vel antiquitus a Graecis incolis essent occupatae. Posteaquam Asia minor in Romanorum dicionem erat redacta, Ἀσία in nummis sub imperatoribus cusis plerumque ad provinciam pertinuit Romanam Asiae nomine designatam.

3) Strabo XVI, 750. Joseph. Ant. XII, 3.

4) Mionnet T. V, p. 120. Joseph. de bell. VII, 28.: τῆς Κομμαγηνῆς μεγίστη πόλις dicitur. Amm. XVIII, c. 9.: regni clarissima sedes.

5) Mionnet T. V, p. 148 seqq.

6) Mionnet Suppl. T. VIII, p. 196 seqq.

7) Mionnet T. I, p. 419.

8) Ibid. n. 359.

9) In Eutrop. Libr. II, 586.

10) Spanhem. l. c. Diss. IX, p. 599 seqq. De jure, privilegiis atque immunitate metropolis cf. Spanhem. de praest. et us. numm. T. I, p. 580 seqq.

§. 18.

Mirum profecto, non solum civitates singulas urbesve neocoras dictas, sed regionum etiam atque provinciarum communia, *κοινὰ*, neocoriae titulo insignita eumque illorum nummis esse inscriptum. *ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚЄΔΟΝΩΝ. ΝЄΩΚ.* et *ΚΟΙΝΟΝ. ΜΑΚЄΔ. Β. Ν.* sub Caracallo atque sequentibus imperatoribus, et *ΚΟΙΝΟΝ. ΜΑΚЄΔ. Δ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ ΟΛΥΜΠΙΑ* in compluribus Macedonum nummis obvia [11]). *Κοινὰ* quidem in multis civitatibus, Asiae praesertim, in Europa Thraciae et Macedoniae, nummis lapidibusque inscripta reperimus. Attamen non ita multa eorum neocoriae titulum sibi asseruerunt. Quaerendum igitur, qualia fuerint illa communia ac quem in finem instituta [12]). Primum hoc maxime tenendum, *κοινὰ* illa vel communia non tam rerum gerendarum bellorumve suscipiendorum caussa esse constituta (quamquam hoc etiam nonnunquam fieri potuit), quam aut templi alicujus primarii tuendi, solemnium, sacrificiorum, ludorum celebrandorum caussa esse conciliata, aut ut civitates *τοῦ κοινοῦ* participes de rebus sacris, de religionibus deorum immortalium tuendis, restaurandis, si aliquando essent violatae vel neglectae, de novis templis excitandis, de novo cultu sive dei alicujus peregrini, sive herois, conditoris, regis etiam praeclare meriti recipiendo atque de multis aliis hoc genus rebus deliberarent, decreta facerent eaque in locis publicis proponerent lapidibus tabulisve aeneis incisa. Quae omnia si reputamus, non est quod miremur, *κοινὰ* illa nonnunquam neocoriae etiam titulum ac dignitatem sibi comparasse. Nihil enim magis cum consilio *τῶν κοινῶν* descripto conspirabat, quam neocoriae solemnia. *Κοινὸν Θράκων*, *κοινὸν Μακεδόνων* tum neocoria addita tum omissa in nummis memoratum reperimus, ludis ubique adjectis: *ΚΟΙΝΟΝ. ΘΡΑΚΩΝ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ. ΦΙ. ΠΥΘΙΑ:* et *ΚΟΙΝΟΝ ΘΡΑ-*

---

11) Mionnet T. I, p. 459, n. 76. Suppl. T. III, p. 12, n. 87, p. 13. 39. 223. 231. n. 420. 422. 463. *Ἀγωνοθέτης τοῦ κοινοῦ Μακεδόνων* apud Boeckh. Corp. Inscr. n. 2007.

12) *Κοινὸν* Cic. Verr. II, 1, 38 commune apellat: *Commune* Myliadum.

ΚΩΝ ΑΛΕΖΑΝΔΡΙΑ. ΠΥΘΙΑ. ΕΝ. ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙ. et *ΚΟΙ. ΜΑΚЄΔΟΝΩΝ. Β. ΝЄΩ. ΑΛЄΖΑΝΔΡΕΙΑ. ΠΥΘΙΑ* (addita duo vascula palmis ornata)[13]). *ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ* jam in nummis inde ab Hadriano cusis reperitur[14]). Quod commune Macedonum non tam ad quattuor illas regiones, in quas Macedonia erat divisa, quam ad ludos complurium civitatium nomine Philippopoli celebrata spectat. — Ludorum celebritatem, frequentiam ac splendorem quum augere vellent, complures civitates *κοινὸν* aliquod instituerunt, ut ludos festos post certum temporis intervallum redituros (sive anniversarios, sive trietericos, sive quinquennales) communi sumptu celebrarent. — Hinc illae inscriptiones lapidibus incisae: *Πέργαμον κοινὸν Ἀσίας ἀνδρῶν παγκράτιον*, — — *Σμύρναν κοινὸν Ἀσίας ἀνδρῶν παγκράτιον*, — *κοινὸν Ἀσίας ἐν Κυζίκῳ*, — *κοινοὺς Ἀσίας ἀγῶνας*, — — *Κοινὸν Ἀσίας ἐν Περγάμῳ πυθαύλας, χοραύλας καὶ τὸν διὰ πάντων*, — *ξυστάρχην ἱεροῦ ἀγῶνος πενταετηρικοῦ τοῦ κοινοῦ τῶν Κρητῶν κτλ.* — *Κοινὸν Συρίας ἐν Ἀντιοχείᾳ δὶς κατὰ τὸ ἑξῆς, κοινὸν Κιλικίας, ἐν Ταρσῷ*, ubi de victoribus sermo[15]). — *Πρῶτα κοινὰ Ἀσίας ἐν Σμύρνῃ* reperiuntur in nummis Smyrnensium sub Gordiano Pio cusis[16]). Praeter ludos solemnes *τοῖς κοινοῖς* templorum curam maxime commendatam fuisse, ex iis nummis conjicere possumus, in quibus templum conspicitur adumbratum[17]). Nonnunquam duae civitates *τῷ κοινῷ* conjunctae in

---

13) Mionnet Descr. de med. etc. T. I, p. 231, n. 463, p. 417. 349. 352. 353.

14) Mionnet T. I, p. 458 seqq. Suppl. T. II, p. 8 seqq. Insolentior formula haec est: *Κοινὸν Μακεδόνων Α. ΝЄ*, apud Mionnet T. I, p. 459, n. 78., quum neocoria prima in nullo alio nummo per litteram A designatam videamus; sufficit ubique simplex vox *ΝЄΩΚ*. Fortasse A pro *Δ* irrepsit.

15) Boeckh. C. Inscr. n. 1421. 2723. 1720. 2583. 2810. Cf. Fellows account of discoveriers in Lycia p. 311. — De *κοινῷ Ἀσίας ἐν Κυζίκω* cf. Marquardt Cyzic. p. 141.

16) Mionnet T. III, p. 249.

17) Quod e. c. in nummis Bithyniae saepius obvium: Mionnet T. II, p. 409. 410. et alibi. In nonnullis etiam latina lingua Com. Bit. ut l. c. n. 4—7, in nummis sub Hadriano cusis. Commune Bit. S. P. R. et Com. Bit. Rom. S. P. Aug. ibidem n. 4. 5.

nummis memorantur, ut *ΚΟΙΝΟΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΕΦΕΣΙΩΝ*, et *ΚΟΙΝΟΝ ΟΜΟΝΟΙΑ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΚΑΙ ΕΦΕCΙΩΝ* [18]). — Praeterea nonnulla in lapidibus nummisque *κοινὰ* proferuntur, in quibus nullum ludorum aut neocoriae vestigium deprehenditur, ut *τὸ κοινὸν τῶν Κείων* [19]), quae communia alio consilio instituta fuerint. — Diversum etiam ab illis *τὸ κοινὸν πάσης τῆς ἐπαρχίας κτλ.* [20]), commune provinciae nempe significatione usitata. Nec haec communia, nec illud *κοινὸν τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν*, nec *κοινὸν τῶν Ἀτταλιστῶν* ulla ratione ad neocoriam pertinere potuerunt [21]). — Mirum compositum *ΜΗΤΡΟΚΟΙΝΟΝ ΤΑΡCΟΥ* in Tarsensi nummo sub Caracallo cuso cernitur, in quo Tarsus *ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ ΠΟΛΙC* dicitur [22]). Apparet in hoc vocabulo et *μητρόπολιν* et *κοινὸν* ita esse conjuncta, ut in unam coalescerent notionem. Ceterum et *ΚΟΙΝΩΝΙΑ* et *ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ*, quamquam rarius, in nummis lapidibusque reperiuntur [23]). Reliqua *κοινὰ* quae nihil habent, cur commemorentur hoc loco, ut in nummo sub Nerone cuso *ΚΟΙΝΟΝ ΦΡΥΓΙΑΣ ΑΠΑΜΕΙΣ*, et *ΚΟΙΝΟΝ ΚΥΠΡΙΩΝ* in compluribus nummis, quorum nonnulli templis ornati, *ΚΟΙΝΟΝ ΚΡΗΤΩΝ* et *ΚΟΙΝΟΝ ΙCΑ.* (Isauriae) non est quod accuratius illustremus [24]). Huc etiam *τὸ κοινὸν τῶν Ἐλευθερολακώνων* in lapide inscripto repertum est referendum [24b]).

---

18) Mionnet T. II, p. 602, n. 581.

19) Boeckh. C. Inscr. n. 2351.

20) Boeckh. C. Inscr. n. 2597.

21) Boeckh. C. Inscr. n. 3067. 3068. 3069. Cf. 1845 all.

22) Mionnet Suppl. T. VII, p. 268, n. 445.

23) Vide Grut. Inscr. p. 95. Vandale Diss. III, p. 296seq. Mionnet Suppl. T. VII, p. 173, n. 99.: *ΑΝΑΖΑΡΒΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC ——— ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ.* — P. 176, n. 111 additur *ΕΛΕΥΘΕΡΑC. ΚΟΙΝΟΒΟΥ.* Communia gentium concilia ab Aristide sunt *κοινὰ βουλευτήρια* dicta: (Orat. *περὶ ὁμον.* XLII, p. 790 Dind.; addit hoc loco: *κοινοὺς δὲ τοὺς νεὼς καὶ τοὺς ἀγῶνας, κοινὰ δὲ πάνθ' ὡς εἰπεῖν τὰ μέγιστα προςειρήκατε κτλ.*

24) Cf. Mionnet Suppl. T. VII, p. 305. et all. locc.

24b) Apud Reinesium Inscr. Cl. VI, 120. Vandale Diss. III, p. 295.

§. 19.

Supremam *τῶν κοινῶν τῆς Ἀσίας* curam Asiarchae suscipere solebant, quibus *ἀρχιερεῖς τῆς Ἀσίας* et *ἀργυροταμίαι τῆς Ἀσίας* erant additi, quod ex lapidibus inscriptis maxime apparet[25]). *Ἀσιάρχης* in nummis neocoriae titulo ornatis saepius conspicitur, ut in Pergamenis nummis: *ЄΠΙ. C. ΑΥΡ. ΔΑΜΑ. ΑCΙΑΡΧ. ΠЄΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ Γ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ*[26]). In Smyrnensium nummo sub Gordiano Pio cuso: *ЄΠ. ΤЄΡΤΙΟΥ. ΑCΙΑΡΧΟΥ. CΜΥΡΝΑΙΩΝ. Γ. ΝЄΩ.*[27]), et in compluribus Sardianorum nummis inde a Valeriano seniore cusis: *ΕΠ. ΔΟΜ. ΡΟΥΦΟΥ. ΑCΙΑΡΧ. CΑΡΔΙΑΝΩΝ. Γ. ΝЄΩΚΟΡ.* [28]). Saepius Asiarcha in nummis neocoriae titulo destitutis comparet, ut in nummo Hypaepae oppidi: *ЄΠΙ. Μ. Α. ΑΥΡΗΛΙΟΥ. ΑCΙΑΡΧΟΥ. ΑΡΧ. ΥΠΑΙΠΗΝΩΝ*[29]). Asiarcharum munus, auctoritatem, dignitatem Strabo paucis adumbravit: *καὶ ἀεί τινες ἐξ αὐτῶν εἰσὶν οἱ πρωτεύοντες κατὰ τὴν ἐπαρχίαν, οὓς Ἀσιάρχας καλοῦσι*[30]). De Trallibus nempe

---

25) Boeckh. Corp. Inscr. n. 2782. E nummorum etiam titulis conjicere possumus, Asiarcham *τῷ κοινῷ Ἀσίας* praesidem fuisse constitutum, ut ex illo Sardiano nummo: *ΕΠΙ. CΤΡ. ΚΟΡ. ΟΥЄΤΤΗΝΙΑΝΟΥ. ΑCΙΑΡΧΑ.*, in corona deinde: *ΚΟΙΝΟΝ ΑCΙΑC. CΑΡΔΙΑΝΩΝ. ΔΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ.* Mionnet T. IV, p. 131, n. 749. *Ἡ ἱερωσύνη ἡ κοινὴ τῆς Ἀσίας* etiam commemoratur, aliquando Aristidi rhetori delata et ab eo recusata. Cf. Vandale Diss. III, p. 275 seqq.

26) Mionnet Suppl. T. V, p. 474, n. 1166 seq.

27) Mionnet T. II, p. 250, n. 1480. Alius nummus sub Tranquillina cusus praebet *ЄΠΙ. C. Μ. ΑΥΡ. ΤЄΡΤΙΟΥ. ΑCΙΑΡΧΟΥ*, altero latere *CΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ΑCΙΑC.* Mionnet T. III, p. 252, n. 1425.

28) Mionnet T. IV, p. 128, n. 727. p. 131, n. 751. p. 140, n. 802. et Suppl. T. VII, p. 432 seqq.

29) Mionnet T. IV, p. 55.

30) Libr. XIV, I, p. 649 Casaub. — *Κατὰ τὴν ἐπαρχίαν* hoc loco optime sese habet nec ullo modo requirit Casauboni et Vandalii (Diss. III, p. 274) emendationem. In multis nummis reperitur: *ΠΡΩΤΟΙ ΤΗΣ ΕΠΑΡΧ.* Cf. Mionnet Suppl. T. V, p. 851, n. 432—436. Asiarchae in Actis apost. c. XIX, 31 etiam memorantur: *Τινὲς δὲ καὶ τῶν Ἀσιαρχῶν πέμψαντες πρὸς αὐτὸν κτλ.* De quibus verbis cf. Vandale Diss. III, p. 278 seqq. — Asiarchae apud Smyrnenses Aristides Or. XXVI, *ἱερ. λογ. Δ*, p. 518 ed. Dind. mentionem fecit.

loquitur atque in medium producit Pythodorum Asiarcham, Pompeji magni amicum, opes regias possidentem (*οὐσίαν βασιλικὴν πλειόνων ἢ δισχιλίων ταλάντων*). Hinc colligi potest, asiarchas opulentos sacrificiorum ludorumque cum neocoria conjunctorum splendorem haud raro ex suis opibus auxisse atque eam ipsam ob caussam civitatium provinciarumque opulentissimos homines Asiarchiae munere esse praeditos [31]). Saepius eosdem hoc munere esse functos, ex hac nummi Hypaepensis inscriptione elucet: *ΕΠ. ΑΙ. ΑΠΠΩΝΟC ΑCΙΑΡ. ΤΟ. Β. ΥΠΑΙΠΗΝΩΝ* [32]). Sacerdotales praesides, quos Tertullianus memorat, et *ἀρχιερεῖς* et Asiarchae esse potuerunt, quum utrisque officium solemnibus ludis praesidendi injungi soleret [33]). — Ceteroquin Asiarchae dignitas tum major, tum minor esse potuit, civitatis, temporis, amicitiae cum Romanis junctae ratione habita. Sine dubio initio amplior ejus auctoritas, major ejus potestas atque dignitas fuit quam seriore aetate, qua complures hoc munere ac titulo uti solebant, ut nummi testantur [34]). Posteaquam quaeque Asiana civitas nova munera expetere, novis titulis honoribusque gaudere coeperat, Lyciarchae etiam, Bithynarchae, Galatarchae exorti sunt, ad exemplum Asiarcharum, ut videtur, creati [35]). Lyciarchae quidem Strabonis tempore jam dudum exstiterunt [36]).

---

31) Idem in *εἰρηνάρχαις* eligendis obtinuit, quod munus aliquando Aristidi rhetori delatum est, de quo ipse haec exposuit (Orat. sacrae IV. sub finem): „*οὐδ᾽ οὐδέπω τῶν ἐμῶν σαφῶς εἰδώς, ἀλλ᾽ ἢ τοσοῦτον ἀκηκοώς, ὅτι κτήματα εἴη μοι περὶ τὸν τόπον τοῦτον, καὶ τὴν ἄλλην μοι δοκεῖν τάξιν ὅτι οὐ τῶν ἀφανῶν, παριδὼν καὶ ἀτιμάσας ἅπαντα τὰ πεμφθέντα ὀνόματα, προὔκρινεν ἄρχειν ἐμέ.*"

32) Mionnet Suppl. T. VII, p. 359, n. 191.

33) De spectac. c. 11.

34) Multa de Asiarchis Vandalius Diss. III, p. 274 seqq. in medium protulit, quamquam, quae ejus ratio disserendi, multis confusis rebusque alienis admixtis; p. 306 frustra *Ἀσιάρχας* et *Ζακόρους* eosdem putat esse quam *νεωκόρους*. — Nummorum magnus exstat numerus, qui *ACΙΑΡΧ.* ostendunt, quos omnes enumerare et longum nec operae pretium.

35) Cf. Vandalius l. c. p. 274. 292 seqq.

36) Libr. XIV, p. 665 Casaub.: *Ἐν δὲ τῷ συνεδρίῳ πρῶτον μὲν Λυκιάρχης αἱρεῖται, εἶτ᾽ ἄλλαι ἀρχαὶ αἱ τοῦ συστήματος κτλ.*

§. 20.

Praeterea permulti nummi neocoriae titulo insignes reperiuntur, in quibus mutua duarum, nonnunquam trium civitatium amicitia concordiave per vocem *ΟΜΟΝΟΙΑ* designatur, ut *ΙЄΡΑΠΟΛЄΙΤΩΝ ΚΑΙ ЄΦЄCΙΩΝ ΝЄΩΚΟΡΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ*, vel *ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΙЄΡΑΠΟΛЄΙΤΩΝ ΝЄΩΚΟΡΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ*[37]). Simili modo *Β. ΝЄ. ΙΟΥΛΙЄΩΝ ΛΑΜΨΑ. ΟΜΟΝΟΙΑ*[38]). Nonnunquam neocoriae significatio omittitur, quamquam illae civitates, quarum nummi *ΟΜΟΝΟΙΑΝ* ostendunt, illius titulo essent ornatae, ut *ΠЄΡΓΑΜΗΝΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ ΠΡΟC ΚΥΜЄΟΥC*[39]). Ita in nummis Milesiis sub M. Aurelio et L. Vero cusis: *ΜΙΛΗCΙΩΝ. ΕΦΕCΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ*[40]). Ita factum nonnunquam, ut altera alterius civitatis, cum qua in concordia amicitiaque vixit, neocoriam testaretur, suam vero ipsius non adderet, ut Smyrnenses in nummo sub Gordiano Pio cuso: *ΠЄΡΙΝΘΙΩΝ ΔΙC ΝЄΩΚΟΡΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ CΜΥΡΝΑΙΩΝ*[41]). In Pergameno nummo sub eodem imperatore cuso: *ΠЄΡΓ. ΚΑΙ ΝЄΙΚΟΜΗΔЄΩΝ Γ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ*[42]). Perinthii tamen minus modesti: *ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΚΑΙ ΕΦΕΣΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ*[43]). Humaniores contra Adramyteni, qui quum amicitiam cum Ephesiis junxissent, horum tertiam neocoriam in nummis testati sunt: *ЄΠΙ. CΤΡ. ΜΑΡΚΙΑΝΟΥ ΑΔΡΑΜΥΤΗΝΩΝ ЄΦЄCΙΩΝ Γ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ*[44]). — Saepius utriusque civitatis neocoria est adscripta, ut in nummo Smyrnensi sub Gordiano Pio cuso: *ЄΠΙ. ΜΑΡΚΟΥ. ΑΡ. Α. Τ. Β. ΦΑ. ΦΙΛΑ* (Philadelphiae) *ΝЄΩΚ. Κ. CΜΥΡ. Δ. ΝЄΩΚ. ΟΜΟΝ.*[45]). Nonnunquam voce *ὁμόνοια* omissa civi-

37) Mionnet T. III, p. 123. et p. 255, n. 1447.
38) Mionnet T. II, p. 565, n. 330.
39) Mionnet Suppl. T. V, p. 433.
40) Mionnet T. III, p. 170, n. 790. 793.
41) Mionnet T. III, p. 250, n. 1415.
42) Mionnet T. II, p. 616, n. 653.
43) Mionnet T. I, p. 414, n. 335.
44) Mionnet T. II, p. 515, n. 18.
45) Mionnet T. III, p. 250, n. 1416.

tatis utriusque nomina simpliciter apposita cernuntur, ut in Milesiorum nummis: *ΜϾΙΛΗϹΙΩΝ ϹΜΥΡΝΑΙΩΝ*[46]): vel *ΔΗΜΟϹ ϹΑΡΔΙΑΝΩΝ. ΔΗΜΟϹ ϹΜΥΡΝΑΙΩΝ* in Smyrnensium nummo, atque *ΔΗΜΟϹ ϹΑΡΔΙΑΝΩΝ. ΔΗΜΟϹ ΠϾΡΓΑΜΗΝΩΝ*[47]). Trium civitatium nomina praebet Pergamenus nummus sub Sept. Severo cusus: *ΝΕΙΚΑΕΩΝ. ΠϾΡΓ. ΚΙΛΒΙΑΝ.*[48]). — Vox *ὁμόνοια* in diversarum civitatium nummis permultis conspicua non ad foedus, pacem pactumve quoddam est referenda, sed nihil aliud nisi amicitiam quacunque de caussa initam, concordiam, sive commune studium in rebus communi sumptu suscipiendis collocandum testatur. Pluribus verbis hujusmodi amicitia, Hermionensium nempe et Asinaeorum, in vetusto lapide describitur: *ὅπως φανερὰ ᾖ, διότι τάν τε συγγένειαν καὶ φιλίαν θέλει ἐπὶ πλεῖον προάγειν*[49]). Civitates sibi vicinae, praesertim ejusdem regionis sive provinciae saepissime hac voce in nummis amicitiam mutuam ad aeternam memoriam consecrarunt: ut *ϹΙΔΗΤΩΝ ΠϾΡΓΑΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ*, utriusque neocoria omissa, in nummo sub Gordiano Pio cuso[50]). Quamquam remotiores etiam longeque dissitae civitates tali junctae erant amicitia, ut multi nummi testantur. Haud raro magnae opulentaeque urbes cum minoribus minimeque locupletibus, tum vicinis tum remotis, hujus amicitiae vinculis erant consociatae, ut Ephesii cum Atteatis Phrygiae: *ΑΤΤϾΑΤΩΝ Κ. ϾΦϾϹΙΩΝ ΝϾΩΚΟΡΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ*[51]). Ita *ϹΙΔΗΤΩΝ ΜΥΡϾΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ* in nummo Sidae sub Valeriano seniore cuso reperitur[52]). *ΝΙΚΑΙΕΩΝ ΑΔΡΙΑΝΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ* in nummo Nicaeensi sub Gordiano Pio signato: *ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΩΝ ϹϾΛΓϾΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ* in nummo

46) Mionnet T. III, p. 169, n. 785. 786.
47) Mionnet T. III, p. 124, n. 702. p. 226, n. 1264.
48) Mionnet T. V. Suppl. p. 458, n. 1097. De Cilbianis cf. Chr. Cellar. orb. ant. T. II, p. 135 seq. ed. I.
49) Boeckh. C. Inscr. n. 1193.
50) Mionnet T. III, p. 483, n. 216.
51) Mionnet Suppl. T. VII, p. 518, n. 187.
52) Mionnet T. III, p. 485, n. 224.

Selgae sub M. Aurelio cuso[53]. — Quod mirum, unius etiam ejusdemque civitatis, nulla alia addita, *ὁμόνοια* in nummis praedicatur, ut *OMONOIA MYTIΛHNAIΩN*[54], civium mutuis contentionibus, ut videtur, vel Mytilenensium atque reliquorum Lesbiorum discordiis compositis concordiaque restituta[54b]. In nummo Macedonico *KOINON MAKЄΔONΩN OMONOIA* invenitur, quae amicitia aut ad complura Macedoniae oppida, aut ad plures omnesve quattuor regiones, in quas Romani eam diviserant, referri potest[55]. — *KOINON OMONOIA ΠЄPΓAMHNΩN KAI ЄΦЄCIΩN* in nummo Pergameno conjuncta videmus[56]. Ex his omnibus, quae adhuc in medium protulimus, apparet, notionem *τῆς ὁμονοίας* fuisse late patentem veteresque civitates qualemcunque amicitiae rationem atque vinculum hac formula in nummis lapidibusque inscriptis significasse. — Sine dubio cognatio, vicinia, lites diremtae, concordia amicitiaque restituta frequentissimam praebuerunt occasionem *τῆς ὁμονοίας* in nummis significandae, qui aliis civitatibus documenti instar esse poterant. Accedit quod ipsi dies festi *τῶν κοινῶν* ludis solemnibus consecrati facillime civium praesentium animos placare atque ad amicitiam reconciliandam cohortari poterant.

§. 21.

Ludos solemnes in imperatorum honorem celebratos cum neocoria fuisse conjunctos tum scriptoribus, tum veteribus nummis testibus constat[57]. Quod minime mirum, quum jam anti-

53) Mionnet Suppl. T. V, p. 150, n. 873. T. VII, p. 134, n. 208.

54) Cf. Spanhem. de praest. et usu numm. T. I, p. 647. Mionnet T. III, p. 47, n. 114.

54b) Senatus etiam atque populi concordia in aliqua civitate nummis inscribi potuit, ut in nummo Nicomedensi sub M. Aurelio cuso: *NEIKOMHΔEIA BOYΛH. ΔHMOC. OMONOIA.* Mionnet T. V, Suppl. p. 184. n. 1080.

55) Mionnet T. III. Suppl. p. 231, n. 454. Liv. XXXXV, 29.

56) Mionnet T. II, p. 606, n. 604.

57) Dio Cass. LI, 20 de Pergamenis, postquam neocoriam impetraverant: *καὶ ἔλαβον καὶ οἱ Περγαμηνοὶ τὸν ἀγῶνα τὸν ἱερὸν κτλ.* Cf. Suet. Aug. c. 59.

quiore tempore in excellentium virorum honorem dies festi instituerentur, ut *Λυσάνδρια, Δημήτρια* [58]). Quum a nobis minime id agatur hoc loco, ut omnes illos dies festos ludosve enumeremus atque explicemus, pauca tantum eaque rariora atque interpretem requirentia illorum nomina illustrabimus. Multos eorum compluribus appellatos nominibus videmus, praesertim inde ab Hadriani, Antonini Pii, maxime vero a Sept. Severi tempore. *ΦΙΛΑΔЄΛΦЄΙΑ* in Caracalli atque Getae honorem instituta sive nuncupata in compluribus lapidibus nummisque conspiciuntur [59]). *ΣΕΟΥΗΡΙΑ ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ ΜΕΓΑΛΑ ΝΙΚΑΙΕΩΝ* videmus in Nicaeensium nummis sub Sept. Severo signatis [60]). Ejusdem urbis *ΑΣΚΛΗΠΕΙΑ* in nummo sub Maximino cuso commemorantur [61]). Illud tamen pro certo habendum, compluribus illis nominibus non diversos sed eosdem ludos describi. — Ancyrae, *μητρόπολις* et *β. νεωκόρος* dictae nummi *ΑCΚΛΗΠΙΑ CΩΤΗΡΕΙΑ ΙCΘΜΙΑ ΠΥΘΙΑ* exhibent [62]). Quorum ludorum nomen primarium atque antiquissimum sine dubio erat *'Ασκλήπια*, reliquis subsequente tempore paullatim assumptis. Nam Aesculapii cultus apud Ancyranos erat antiquissimus et celeberrimus. —

Exquisita atque rarissima ludorum cognomina in nummo Sidae reperiuntur, qui nummus sub Valeriano seniore cusus in altero latere hoc inscriptus est titulo: *ΙЄΡΟC. ΠΥΘΙΟC. ΜΥCΤΙΚΟC ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟC:* praeterea mensa duobus vasculis ornata cum inscriptione *CΙΔΗC ΝΕΩΚΟΡΟΥ* addita. In alio ejusdem oppidi nummo sub eodem imperatore cuso haec cernuntur: *ΙЄΡΑ ΠΥΘΙΑ.... ΜΥCΤΙΚΟC ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟC CΙΔΗC ΝЄΩΚΟΡΟΥ* [63]). — Cognomentum *ἱερὸς* quum

58) **Plut. Lys. c. 18. Demetr. c. 12. — Vide supra §. 2.**

59) **Mionnet T. IV, p. 128, n. 729.**

60) **Mionnet Suppl. T. V, p. 111, n. 602. 603.: *CЄΥΗΡΙΑ. ΜΕΓΑΛΑ. ΔΙC ΝЄΩΚΟΡΩΝ ΝΙΚΟΜΗΔЄΩΝ* in Nicomedensi nummo sub Publ. Severo Pertinace cuso. Morelli Spec. rei numm. Tab. XIII, p. 143 seqq. Spanhem. Epist. ad Morell. V, p. 268.**

61) **Mionnet Suppl. T. V, p. 144, n. 832.**

62) **Mionnet Suppl, T. VII, p. 638 seqq.**

63) **Mionnet T. III, p. 485, n. 225. Suppl. T. VII, p. 75, n. 230.**

nihil habeat obscuri, interpretationem non requirit. Multi enim *ἀγῶνες* dicebantur *ἱεροὶ* (ludi sacri, certamina sacra), de quibus alio loco disserui[64]). Ita *IЄPOC NIKAIЄΩN*[65]). — Cognomen *ΠYΘIOC* sive *ΠYΘIA* refertur ad Pythia Sidae celebrata, quae certamina complures hujus oppidi nummi testantur, quos alio loco illustravi[66]). Restant igitur duo cognomenta postrema explicanda, *MYCTIKOC OIKOYMENIKOC*. *Ἀγῶνες* quidem qui *μυστικοὶ* appellantur, perquam rari. Verumtamen quum uterque ille nummus hac inscriptione insignis sub Valeriano seniore sit cusus atque seriore aetate mysteria in Asiae civitatibus maxime essent propagata ludisque solemnibus haud raro conjuncta, facile intelligitur, quo vocabulum *μυστικὸς* sit referendum[67]). Praeterea maxime respiciendum, quod illo tempore imperatorum conjuges atque filiae haud raro diis mysticis immiscerentur, praesertim Cereris atque Proserpinae nomine colerentur, sicut Agrippina *θεὰ καρποφόρος*, Ceres nova dicta[68]). Illud etiam non praetermittendum, quod initiati (*μύσται εὐσεβεῖς*) illa aetate frequenter collegium quoddam (*σύνοδον*) constituebant, quales *σύνοδοι* in lapidibus inscriptis saepissime commemorantur[69]). Quae omnia si computemus, haud mirum videri potest, certaminibus etiam illud cognomentum esse additum. De certaminibus antiquissimo tempore cum mysteriorum celebritate conjunctis alio loco disserui[70]). —

Quartum illorum ludorum cognomentum, *OIKOYMENI-*

Vidi hos ludos in aliquo nummo apud Mionnet Descr. d. med. etc. (non recordor quo) etiam *OIKOYMENIA* dicta.

64) Olympia p. 8, not. 4. Addi potest Dio Cass. LI, 20.: *τὸν ἀγῶνα τὸν ἱερὸν ὠνομασμένον κτλ.*

65) Mionnet T. II, p. 457, n. 254.

66) Pythia, Nem. et Isthm. p. 75 seqq.

67) Cf. Themist. Or. XXX, p. 349. 422 ed. Dind. Boeckh. C. Inscr. 3002. 2175. 2183. 2177. 2926.

68) Boeckh. Corp. Inscr. n. 2075. Talia in nummis saepissime obvia. Vide supra §. 3.

69) Boeckh. Corp. Inscr. n. 2157. 2160. et all.

70) Cf. Gymnast. et Agonist. T. I, p. 12, 2. et Paus. IV, 1, 5.

KOC, majorem nobis exhibet difficultatem. Verumtamen quum multis exemplis edocti simus, illorum ludorum cognomina saepissime ab imperatorum cognominibus esse desumpta, valde probabile fuerit, vocem *Οἰκουμενικὸς* etiam hinc esse derivandam. Imperatorum aetate imperium Romanum tum a scriptoribus, tum in nummis marmoribusque saepius *ἡ οἰκουμένη* dicta. Consentaneum itaque aliquando imperatorem aliquem *τοῦ Οἰκουμενικοῦ* cognomento esse decoratum[71]. Certa quidem hujus cognominis documenta nobis non offeruntur, mihi saltem nulla sunt cognita. Fortasse Valerianus senior, quo regnante illi nummi cusi, titulo Oecumenici a senatu erat ornatus, quum imperii fines promovisset atque cum Sapore, Persarum rege, bellum suscepisset, a quo sive fraude, seu adversa fortuna, ut Trebellius Pollio scribit, denique interceptus est[72]. Utcunque tamen sese haec res habeat, hoc certum, illud ludorum cognomentum aut ad imperium, aut ad imperatorem Romanum esse referendum. Apud Byzantinos etiam haec vox simili significatione erat usitata. Hinc *Οἰκουμενικὸς* apud illos titulus praeceptoris Caesarei, qui duodecim aliis praeceptoribus professoribusve erat praefectus[73].

Sardibus cum neocoria ludi vel dies festi, Chrysanthina appellati, erant conjuncti, qui in nummis Sept. Severo et Caracallo imperante et seriore aetate sub Philippo seniore ejusque

71) M. Aurelius *κύριος τῆς οἰκουμένης* dictus in lapide inscripto apud Boeckh. C. Inscr. n. 2581. Antiquiore tempore Iul. Caesar jam *Σωτὴρ τῆς οἰκουμένης* appellatus a Carthaeis: Boeckh. C. Inscr. n. 2369. Traianus *Σωτὴρ τοῦ παντὸς κόσμου* et *τῆς οἰκουμένης κτίστης* est nuncupatus apud Boeckh. C. Inscr. n. 2573. Huc illa etiam referri possunt: *ἱεραγωγὸν τῶν ἱερῶν εἰσελαστικῶν εἰς τὴν οἰκουμένην Πυθίων* etc. ibid. n. 2932. et *ἡ Ὀλυμπικὴ σύνοδος τῶν ἀπὸ τῆς οἰκουμένης ἱερονεικῶν καὶ στεφανειτῶν* etc. Not. ad n. 2932.: „*εἰς τὴν οἰκουμένην* hoc significat, jus hoc iis per universum orbem Romanum concessum esse.“

72) Treb. Poll. vit. Valeriani patris c. 3, p. 179 seqq. Script. hist. Aug. T. II, Lugd. Bat. 1671.

73) Perverse ac ridicule clarissimus Hammerus Constant. et Bosp. I, 262 hunc *Οἰκουμενικὸν* interpretatus est, quod jam Bernhardy Hist. Graec. Litt. I, p. 472, 2 notavit.

uxore Otacilia nec non sub Salonina cusis memorantur: *CAPΔΙΑΝΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΧΡΥCΑΝΘΕΙΝΑ*, et in alio nummo *CAPΔΙΑΝΩΝ ΝЄΩΚΟ. ΧΡΥCΑΝΘΙΝΑ*, adumbrato simul ludorum vasculo et palmae ramulo adjecto [74]). Quae solemnia quum in nummis Augustarum tantum, h. e. in nummis Sardianis Augustae alicujus imagine nomineque ornatis, reperiantur, maxime verisimile, in hoc nomine latere aliquid, quod ad solas mulieres Caesareas, imperatorum nempe uxores, pertinuerit. Julia Domna (*ΙΟΥΛΙΑ. CЄΒΑCΤΗ* dicta) prima erat Augusta, in cujus nummo Sardiano aliquo Chrysanthina memorantur. Is nummus sub Sept. Severo cusus est. Ad eandem Sept. Severi uxorem alius nummus, in quo mulier et imperator comparent, referendus est: hic nummus sub Caracallo signatus [75]). Secunda Augusta est Otacilia, Philippi senioris uxor, in cujusdem nummo ejus capite ornato Chrysanthina cernuntur [76]). Tertia Augusta erat Salonina, in cujus uno nummo superstite Sardibus cuso Chrysanthina nobis obvia sunt [77]). Ad horum solemnium nomen explicandum Pausanias maxime nobis facem praefert, cujus verba haec sunt: „*Λέγεται οὖν, ὡς Δήμητρα ἐς Ἄργος ἐλθοῦσαν Πελασγὸς δέξαιτο οἴκῳ, καὶ ὡς Χρυσανθὶς τὴν ἁρπαγὴν ἐπισταμένη τῆς κόρης διηγήσαιτο* [78]). Quae et qualis illa Chrysanthis fuerit, num uxor, an filia ancillave Pelasgi, nihil refert. Amica erat Cereris, ut fabula docet, eique Proserpinae raptum exposuit. Non mirum itaque, Sardibus eam cum Cerere cultam atque in ejus honorem solemnia esse instituta. Jam quum recordari velimus, quae supra de numinibus mysticis atque imperatorum uxoribus illis adnumeratis exposita sint, facile intelligemus, Chrysanthina tum ad Chrysanthem et Cererem, tum symbolica comparatione simul ad

74) Mionnet T. IV, p. 141, n. 806. et Suppl. T. VII, p. 424, n. 493. p. 427, n. 305. 306, p. 431, n. 525.

75) Mionnet Suppl. T. VII, p. 424, n. 493. p. 427, n. 506. Huc etiam n. 505 ibid. pertinet.

76) Mionnet Suppl. T. VII, p. 431, n. 525.

77) Mionnet T. IV, p. 141, n. 806.

78) Paus. I, 24, 2.

illas, quas diximus, Augustas Cereri adsimilatas pertinuisse. — Nam illo seriore tempore insigniora provinciarum oppida quamcunque arripere solebant occasionem benevolentiae imperatorum sibi conciliandae. Praeterea hoc certum, nomen Chrysanthina Sardibus maxime convenisse, quippe jam antiquitus auro abundantibus, quod ex Croesi divitiis notissimum. Cognomen *ΧΡΥCΟΓΟΝΗ*, quo Salonina in nummis ornata cernitur, hac in re nullius est momenti, quum nec Jul. Domna nec Otacilia eo sit praedita[79]).

Perinthiorum nummi *ΝЄΩΚΟΡΩΝ ΑΚΤΙΑ ΠΥΘΙΑ* et *ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ ΑΚΤΙΑ ΠΥΘΙΑ* ostendunt[80]). Philadelphia ubique ad Caracallum et Getam referenda jam supra ex Nicaeensibus nummis in medium protulimus. Actia cum Pythiis saepissime in nummis lapidibusque inscriptis conjuncta imitamina erant illorum certaminum celeberrimorum, quae Augustus ipse in memoriam victoriae navalis de Antonio et Cleopatra reportatae Nicopoli instituerat, quaeque a Dione Cassio diligentius sunt descripta[81]). De Pythiis minoribus apud multas civitates celebratis atque nummis marmoribusque inscriptis alio loco disputavimus[82]).

Tarsus Ciliciae metropolis, quae Hadriano regnante primam neocoriam nummis inscripsit atque sese Hadrianam (*ΑΔΡΙΑΝΗC ΤΑΡCΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩC ΝЄΩΚΟΡΟΥ*), sub Commodo vero alteram neocoriam consecuta sese Comodianam appellavit (*ΑΔΡ. ΚΟΜΟΔΙΑΝΗ. ΤΑΡC. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩC ΔΙC ΝЄΩΚΟΡΟΥ*) sub Valeriano seniore *CЄΥΗΡΙΑ ΑΥ. ΑΝΤΟΝΙΝΙ. ΧΟΡΑΙΑ ΑΥΓΟΥCΤΙΑ ΑΚΤΙΑ* celebravit[83]). In his nominibus vocabulum *ΧΟΡΑΙΑ* perquam insolens nec alibi obvium hoc cognomen[84]). Quomodo illud sit explicandum, in subsequentibus videbimus.

---

79) Mionnet T. III, p. 174, n. 812. IV, p. 141. Suppl. T. VII, p. 598, n. 511.

80) Mionnet T. I, p. 404 seqq.

81) Dio Cass. LI, c. 1. — Multa *Ἄκτια* diversarum civitatium vide apud Mionnetum T. IX. Suppl. Tabl. de mat. p. 221 enumerata.

82) De Pyth. Nem. et Isthm. p. 53 seqq.

83) Mionnet T. III, p. 625 seqq. ibid. p. 629.

84) Mionnet T. III, p. 656, n. 615.

Alius ejusdem metropolis nummus sub Caracallo cusus verbis *CЄYH. AΔP. ANT. ΘЄOΓAMIA* inscriptus est[85]). Cognomentum *Θεογάμια* vero primitus et *κατ' ἐξοχὴν* Proserpinae nuptias significat[86]). Quum vero imperatorum uxores, ut jam supra monitum, saepius mysticis numinibus adnumeratas inveniamus, apparet, quo *Θεογάμια* sint referenda, sine dubio ad nuptias Iuliae Domnae Augustae, Sept. Severi uxoris, de qua Ael. Spartianus quasi noverca Antonini Caracalli et ab eo, postquam patri defuncto successisset fratremque Getam interemisset, propter pulchritudinem in matrinonium ducta, multa commentus est a vero abhorrentia[87]). Hinc apparet etiam, quid in voce *XOPAIA* lateat et quo sit illa referenda, nempe ad eandem Iuliam Domnam Augustam, Proserpinae sive *τῇ Κορῇ* adsimilatam. Itaque sine dubio *KOPAIA* sive legendum, sive intelligendum erit, ut in nummo Sardiano eodem Caracallo imperante cuso: *KOPAIA AKTIA CAPΔIANΩN ΔIC NЄΩKOPΩN*[88]). *KOPAIA* vero nihil est aliud nisi insolens forma pro *Κορεῖα* (*KOPEIA*). Insolentiores enim formae, quod ad litteras vocales praesertim *A. E. I.* commutatas attinet, in nummis haud raro reperiuntur. Ita *NEMAIA* pro *NEMEIA* nummis inscriptum videmus[88b]). *Κορεῖα* igitur et *Θεογάμια* sine dubio eorundem solemnium erant cognomina,

85) Mionnet Suppl. T. VII, p. 271, n. 458.

86) Polluc. Onom. I, 37.

87) Cf. Ael. Spart. vit. Severi c. 20, p. 632 seq. ibique Casaub. et Salmas., et vit. Caracall. c. 10, p. 730. Scr. h. Aug. T. I. Lugd. Bat. 1671. Possunt *Θεογάμια* etiam ad Caracalli uxorem (Herodian. IV, 6, 3) referri, quamquam Iuliam Domnam praetulerim.

88) Mionnet T. IV, p. 132, n. 754. Proserpina a Plutone in curro vecto rapta pulcherrime in nummo Sardiano adumbrata cernitur apud Spanhem. de praest. et us. numm. T. I, p. 618. Fortasse terrae motus, quibus Sardes saepius et gravissime vexabantur (cf. Tacit. Ann. II, 47), cives hujus urbis ad Proserpinam summo studio colendam compulerant. In universum enim in iis regionibus, quae terrae motibus saepius concutiebantur, numina inferna diligentius quam in aliis locis coli solebant.

88b) Mionnet Descr d. med. etc. Suppl. T. II, p. 223, n. 108. Cf. Krause, Pyth., Nem. et Isthm. p. 147.

a Tarsensibus in honorem Iuliae Domnae celebratorum[88c]). Severia Adriania tamen ultra Elagabali tempus non pertinuisse videntur. Quamobrem ille Tarsensium nummus *CЄOYHPEIA AΔPIANIA* inscriptus, quem Mionnetus Gordiani Pii tempori attribuit, superiori aetati est assignandus[89]). Accedit, quod, quum Aphrodisias Cariae *τῶν μεγάλων Γορδιανήων Ἀτταλήων* solemnia celebraret, minime sit verisimile, Tarsensem civitatem Gordiano imperante prorsus alienos ab ejus nomine ludos seu dies festos nummis inscripsisse[90]).

Nicaeenses sub Valeriano seniore *KENΔPEΣEIA ΠY-ΘIA* celebrabant, nummis testibus, in quibus etiam *IEPOI AΓΩNE NIKAIEΩN* commemorantur[91]). Ludis Philippopoli celebratis idem nomen est inditum: *KENΔPEIΣEIA ΠYΘIA EN ΦIΛIΠΠOΠOΛI NЄΩKOPΩN*[92]). Nomen *KENΔPEI-CEIA* obscurius dictuque difficile, unde sit ortum et quorsum referendum. In lapide inscripto *φυλὴ Κενδρισεῖς* reperitur[93]), cujus tribus nomen aliquid conferre ad illud ludorum nomen explicandum Boeckhius putavit, qui addit ad illum titulum: „Ni fallor, haec tribus a numine quodam appellata est, ut *Ἀρτεμισίας* n. 2047. 2048." quod ille sane recte est suspicatus. Nam cognomentum *KENΔPEΣEIA* sine dubio ad Apollinis quoddam cognomen est referendum, quum Pythiis minoribus et Nicaeae et Philippopoli celebratis sit additum. Cognominum quidem Apollini attributorum numerum novimus ingentem, tum a locis in quibus colebatur, tum a factis mythicis repetitorum. Quod si quis aliis conjecturis indulgere velit, conjectandi materies in hoc campo latissimo deesse minime poterit. Nec tamen operae pretium, in his enodandis et ad liquidum perducendis diu multumque desudare.

88c) *Κορεῖα* Clitorii Arcades etiam celebrabant. Pind. Nem. X, 47. B. Schol. ibid. p. 506 ed. Boeckh. et ad Pind. Olymp. VII, 153, p. 181. Cf. Krause, Gymnast. et Agonist. Graec. T. II, p. 735.

89) Mionnet Suppl. T. VII, p. 283.

90) Cf. Boeckh. Corp. Inscr. n. 2801.

91) Mionnet Suppl. T. V, p. 158 seq. n. 922. 925. 926. Mirum, a Plin. ep. X, 48. 49. *Niceum*, *Nicenses* dici.

92) Eckhel. doctr. numm. T. II, p. 44. T. IV, p. 437. Mionnet T. I, p. 418, n. 355.

In universum ludi cum neocoria conjuncti plerumque sacri (*ἱεροὶ ἀγῶνες*) appellabantur, qui nonnisi ab imperatoribus vel illis permittentibus a senatu concedebantur. Cujus generis erant certamina Pergamena neocoriae solemnibus addita, de quibus supra jam expositum[93]). Tales erant ludi, qui in lapidibus Aphrodisiensibus memorati inveniuntur, in earum quidem civitatium honorem positis, quae sacrificiorum solemnium participes fuerant *ἐπὶ τῇ δεδομένῃ τοῦ ἱεροῦ ἀγῶνος δωρέᾳ* etc.[94]). Sine dubio ludi Augustales etiam (*Αὐγουστάλια, οἱ τοῦ Σεβαστοῦ ἀγῶνες, Σεβάσμια* etc.) Romae, Neapoli, Alexandriae celebrati in sacris referebantur[95]). Quid enim non factum ad honores imperatorum augendos?

§. 22.

Jura, privilegia, immunitates haud mediocres cum neocoria fuisse conjunctas, quum ex aliis rebus tum ex eo quam maxime perspicitur, quod Asiae civitates primariae magna contentione de neocoriarum titulis multiplicatis atque de principatu in his honoribus obtinendis certare solebant. Huc etiam asyli jus referendum, quod in nummis illarum civitatium saepissime cum neocoria conjunctum cernitur. Verisimile igitur neocoriam in universum juris sacri aliquid in se continuisse, quod etiam ex cognomento *ΙΕΡΑΙ*, quo civitates neocorae in nummis saepissime appellantur, conjicere possumus. Complures quidem illarum civitatium jam antiquitus in templis suis celeberrimis asyla condiderant, refugia nempe hominum injuriis affectorum a potentioribus, instituta divini juris, religionis inviolabilis, humanitatis, clementiae, misericordiae, quorum asylorum jure deinde illis etiam uti licuit, qui crimina sceleraque commiserant capitalia. Templi religio enim eos a poena tutos praestitit, quod jam antiquissimis Graecorum fabulis est traditum[95b]).

93) Dio Cass. LI, 20.

94) Boeckh. Corp. Inscr. n. 2762—2765.

95) Cf. Boeckh. Corp. Inscr. n. 2961, 6. Adde Encycl. class. antiquit. Stuttg. s. v. Augustales, T. I, p. 1005 seq.

95b) Cf. Diss. d. asyl. in Hist. de l'acad. d. inscr. T. II, p. 53 seq.

Aliam asyli instituendi caussam civium numerus augendus praebuit. Clarissimum hujus exemplum Romuli asylum, de cujus origine atque consilio Livius haec retulit: „Deinde ne vana urbis magnitudo esset, adjiciendae multitudinis caussa, vetere consilio condentium urbes, qui obscuram atque humilem conciendo ad se multitudinem, natam e terra sibi prolem ementiebantur, locum qui nunc septus descendentibus inter duos lucos est, asylum aperit. Eo ex finitimis populis turba omnis, sine discrimine, liber an servus esset, avida novarum rerum perfugit“ 96). Utcunque antiquissima Romanorum historia fabulis fuerit mixta atque depravata, in re narrata nihil continetur quod a veritate plane abhorreat: immo hinc maxime intelligitur,

Praeterea in universum deorum arae, simulacra, templa, τέμενος quodque cum luco sacro hominibus afflictis haud raro asyli instar erant, eo confugere solitis, si ab immicis hostibusve urgerentur nec aliud auxilium esset in promptu. Cf. Spanhem. ad Callimach. hymn. in Dian. v. 38. et de praest. et usu numism. T. I, p. 667. Sub imperatoribus licuit hominibus injuria affectis, oppressis, in servitutem injustam abductis, ad imperatoris statuam quamcunque confugere ibique salutem exspectare. Ita Plinius Callidromum quendam, qui ad Traiani statuam confugerat atque hinc ad magistratus perductus erat, caussa cognita, ad imperatorem ipsum putavit mittendum. Ep. X, 16.

96) Liv. I, 8. Virgil. Aen. VIII, 342. Giambattista Vico Fund. nov. doctr. p. 95 seq. (interpr. Webero), ut multas res nova et singulari quadam interpretandi ratione explicare tentavit, ita de illo Romuli asylo haec protulit: „Romulus, in dem Asyle, welches in dem Lucus eröffnet worden, gründete Rom auf die Clientelen, als welches sind Schutzleistungen, kraft deren die Familienväter die zu dem Asyle Geflüchteten hielten in Eigenschaft taglöhnender Bauern, welche kein Vorrecht des Bürgers hatten und sonach keinen Theil an bürgerlicher Freiheit; und weil sie dahin geflüchtet waren, um das Leben ungefährdet zu erhalten, beschützten die Väter ihnen die natürliche Freiheit, indem sie dieselben partieenweise vertheilt hielten zu Erbauung ihrer Felder etc.“ — Praeterea Romanorum Latinorumque communi nomine ac sumptu Dianae templum in Aventino monte, Tullio Hostilio regnante, exstructum traditur, asylo quidem sacrosancto addito. Cf. Dionys. Halic. Rom. Ant. IV, 29. p. 230. — Alia asylorum exempla memorare poteram: verumtamen hac paragrapho non totum de asylis argumentum tractare atque exponere volui, sed ad neocoriam usquequaque illustrandam pauca tantummodo eaque graviora delibare atque in medium proferre erat mihi propositum.

cur ille primus rex civibus ad bella gerenda usus sit fortissimis atque audacissimis. — Alia hujus generis asyla multa esse instituta perquam est verisimile. Nobis tamen ad ea maxime asyla, quae cum civitatium neocorarum templis erant conjuncta, est redeundum. Dianae Ephesiae templo maximo ac splendidissimo antiquitus asyli jus erat attributum[97]). Hinc complures hujus oppidi nummi: *ЄΦЄCIΩN APTЄMIC ACYΛO* inscripti[98]). Cujus asyli auctoritas ad seriora usque tempora permansit. Exemplum religionis et sanctitatis ab Ephesiis constanter observatae praebet Cicero his verbis: „Nuper M. Aurelio Scauro postulante, quod is Ephesi se quaestorem vi prohibitum esse dicebat, quo minus e fano Dianae servum suum, qui in illud asylum confugisset, abduceret: Pericles Ephesius, homo nobilissimus Romam evocatus est, quod auctor injuriae illius fuisse argueretur"[99]). M. Antonius vero, deorum religiones, jus divinum et humanum dudum spernere suetus, hujus templi atque asyli sanctitatem prorsus comtemsit, quippe qui fratres Cleopatrae, cujus amore jam flagrare coeperat, ex illo templo protrahendos atque interficiendos curaret, ne diutius de Aegypti regno ambigeretur idque uni illorum sorori tute committi posset[1]). Scitu digna, quae Strabo de hujus asyli ambitu tum dilatato, tum arctius contracto exposuit: *Ἄσυλον δὲ μένει τὸ ἱερὸν καὶ νῦν καὶ πρότερον· τῆς δ' ἀσυλίας τοὺς ὅρους ἀλλαγῆναι συνέβη πολλάκις· Ἀλεξάνδρου μὲν ἐπὶ στάδιον ἐκτείναντος· Μιθριδάτου δὲ τόξευμα ἀφέντος ἀπὸ τῆς γωνίας τοῦ κεράμου καὶ δόξαντος ὑπερβαλέσθαι μικρὰ τὸ στάδιον, Ἀντωνίου δὲ διπλασιάντος τοῦτο καὶ συμπεριλαβόντος τῇ ἀσυλίᾳ μέρος τι τῆς πόλεως· ἐφάνη δὲ τοῦτο βλαβερὸν καὶ ἐπὶ τοῖς κακούργοις ποιοῦν τὴν πόλιν, ὥστ' ἠκύρωσεν ὁ Σεβαστὸς Καῖσαρ*[2]). Aliis etiam Dianae templis asylum additum novimus. Dianae Pergaeae asylum non solum in Pamphylia,

---

97) Cf. Tacit. Ann. III, 61.
98) Mionnet T. III, p. 120, n. 432.
99) Cic. in Verr. II, 1, 33.
1) Cf. Dion. Cass. XXXXVIII, c. 24.
2) Strabon. Libr. XIV, 1, 641. Casaub. Cf. Tacit. Annal. III, 61.

sed totius regionis illius erat celeberrimum multisque illud in Pergaeorum nummis significatum videmus: *ΠЄΡΓΑΙΑC ΑΡΤЄΜΙΔΟ ΑCΥΛΟΥ. — ΠЄΡΓΑΙΩΝ ΑCΥΛΟC. — ΠЄΡΓΑΙΩΝ ΑCΥΛΙΑ* in nummis sub Gordiano Pio cusis reperiuntur[3]). Dianae Leucophrynae apud Magnetes asylum religiose cultum Tacitus testatur: „Proximi Magnetes L. Scipionis et L. Sullae constitutis nitebantur: quorum ille Antiocho, hic Mithridate pulsis fidem atque virtutem Magnetum decoravere, uti Dianae Leucophrynae perfugium inviolabile foret" [3b]). Celeberrimum Aesculapii asylum apud Pergamum erat, de quo consules Tiberio imperante certiora ad senatum retulerunt[4]). Quo magis mirum, in Pergamenorum nummis, qui Aesculapii et Hygeae (*ΑCΚΛΗΠΙΟΥ CΩΤΗΡΟC ΚΑΙ ΥΓΙΕΙΑΣ*) nomina frequenter exhibeant, nullam illius asyli mentionem fieri[5]). Aliae vero civitates permultae, quae asyli jus vel antiquitus vel sub imperatoribus demum impetraverant vel sua sponte sibi vindicaverant, in nummis sub imperatoribus cusis *ΙΕΡΑΙ ΚΑΙ ΑCΥΛΟΙ* designantur, ut *ΑΠΑΜΕΙΑΣ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ Κ. ΑΣΥΛΟΥ, — ΤΥΡΟΥ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑCΥΛΟΥ. — ΣΙΔΩΝΟC ΤΗC ΙΕΡΑC ΚΑΙ ΑCΥΛΟΥ, — ΙΕΡΑC ΝΕΙΚΟΠΟΛΕΩΣ ΑCΥΛΟΥ*[6]). Permulta alia exempla in veterum civitatium nummis nobis servatis reperiuntur.

Antiquiore quidem tempore ad asyli constituendi jus impe-

---

3) Mionnet T. III, p. 466, n. 111 seqq. n. 119. p. 467. Suppl. T. VII, p. 56 seq. n. 139 seq. — Praeterea notandum, ut templum aliquod, ita universam aliquam civitatem, urbem, aliquod oppidum in nummis *ἄσυλον* dici, quod significat, ei privilegio aliquo sive jure sacro dato concessum fuisse, ut bello orto, ab hostibus ei parceretur eidemque liceret a neutra parte stare armisque abstinere: quod jus tamen, bellis excitatis, saepissime neglectum esse constat.

3b) Tacit. Annal. III, 62.

4) Tacit. Annal. III, 63.

5) Cf. Mionnet T. II, p. 589 seqq. Suppl. T. V, p. 550 seqq.

6) Cf. Spanhem. de praest. et usu numism. T. I, p. 660 seqq. Mionnet T. II, p. 59. T. V, p. 271. p. 319. 378. Suppl. T. VII, 139. 152. 154 et al. locc. Non tamen ubique illis vocibus asylum quoddam templo additum significatur. Cf. supra not. 3.

trandum, confirmandum et quasi sanciendum vicinarum civitatium, urbium, oppidorum maxime consensus requirebatur, quod ex lapidibus inscriptis apparet compluribus [7]). Imperatorum tempore asylorum numerus maxime auctus erat, quum non solum illae civitates, quae antiquitus asyli jus obtinuerant et perpetuo conservaverant, nummis lapidibusque inscriptis illud ostentarent, sed aliae etiam minores illud jus quasi in propatulo situm arripuissent et cum numinis alicujus templo conjunxissent. Locupletissimum hujus rei testem habemus Tacitum, qui haec nobis tradidit: „Crebrescebat enim Graecas per urbes (intelligit nempe Asianas maxime) licentia atque impunitas asyla statuendi: complebantur templa pessimis servitiorum: eodem subsidio obaerati adversum creditores, suspectique capitalium criminum receptabantur. Nec ullum satis validum imperium erat coercendis seditionibus populi, flagitia hominum ut caerimonias Deum protegentis. Igitur placitum, ut mitterent civitates jura (nempe documenta scripta juris aliquando impetrati) atque legatos. Et quaedam, quod falso usurpaverant, sponte omisere: multae vetustis superstitionibus aut meritis in populum Romanum fidebant" [8]). Quum itaque senatus has res dijudicare vellet, quaeque civitas, ut jus suum quasi antiquissimo tempore impetratum et sancitum senatui approbaret et confirmaret, operam dedit. De eventu hujus inquisitionis a senatu susceptae atque ad exitum perductae Tacitus haec narrat: „Factaque senatus consulta, quis multo cum honore modus tamen praescribebatur, jussique ipsis in templis figere aera sacrandam ad memoriam, neu specie religionis in ambitionem delaberentur" [9]). Aliud de asylis nonnullarum civitatium testimonium luculentum Tacitus affert his verbis: „Is quoque annus legationes Graecarum civitatium habuit: Samiis Junonis, Cois Aesculapii delubro vetustum asyli jus ut firmaretur petentibus. Samii decreto Amphictyonum nitebantur, quis praecipuum fuit rerum omnium judicium, qua

7) Marm. Oxon. I, 6. Cf. Spanhem. I, p. 666. De hac re vide quae infra in medium protulimus de Teiorum asylo.

8) Annal. III, 60.

9) Tacit. Ann. III, 63.

tempestate Graeci conditis per Asiam urbibus, ora maris potiebantur. Neque dispar apud Coos antiquitas: et accedebat meritum ex loco. Nam cives Romanos templo Aesculapii induxerant, cum jussu regis Mithridatis apud cunctas Asiae insulas et urbes trucidarentur“ [10]). His alind testimonium Plutarchi de veterum civitatium asylis celeberrimis addi placet [11]): „*Τῶν δ' ἀσύλων καὶ ἀβάτων πρότερον ἱερῶν ἐξέκοψαν ἐπιόντες τὸ Κλάριον, τὸ Διδυμαῖον, τὸ Σαμοθράκιον, τὸν ἐν Ἑρμιόνῃ τῆς Χθονίας νεών, καὶ τὸν ἐν Ἐπιδαύρῳ τοῦ Ἀσκληπιοῦ καὶ τὸν Ἰσθμοῖ καὶ Ταινάρῳ καὶ Καλαυρίᾳ τοῦ Ποσειδῶνος, τοῦ δ' Ἀπόλλωνος τὸν ἐν Ἀκτίῳ καὶ Λευκάδι, τῆς δ' Ἥρας τὸν ἐν Σάμῳ, τὸν ἐν Ἄργει, τὸν ἐπὶ Λακινίῳ.* Videmus hoc loco multa asyla antiquissima et celeberrima commemorata, quae apud Tacitum non in censum venerunt. Non enim omnes civitates, quibus antiquitus asyla erant, Romam legatos misisse videntur, tum quod certa et indubia esset illorum vetustas et auctoritas, tum quod Tiberio imperante jam sua sponte nonnullae civitates asyla omisissent, fortasse etiam quod minime curarent, si a senatu Romano illud asyli jus sibi adimeretur. Sine dubio Tiberio imperante nonnullorum vetustorum asylorum auctoritas et fama dudum evanuerat. — Praeterea alia veterum civitatium asyla non tam nummorum lapidumve quam veterum scriptorum testimoniis nobis sunt nota, ut asylum Dianae templo inter Clitorem et Cynaethum, Arcadiae oppida, sito attributum, de quo Polybius tradidit haec: *καὶ παραγενόμενοι πρὸς τὸ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερὸν, ὃ κεῖται μὲν μεταξὺ Κλείτορος καὶ Κυναίθης, ἄσυλον δὲ νενόμισται παρὰ τοῖς Ἕλλησι κτλ.* [12]). Ita Palicorum fanum in Sicilia asyli jure erat perquam celebre [13]). Teiorum *ἀσυλίαν* a multis aliis civitatibus confirmatam nec non a Romanis sancitam testatur decretum praetoris Romani in vetere lapide repertum [14]). Asyli jus Allariotarum a Pariis

10) Tacit. Ann. IV, 14.
11) Pomp. c. 24. Cf. Paus. II, 27, 1.
12) Libr. IV, 18, 10.
13) Diodor. XI, p. 288. *ἄσυλον τετηρημένον.*
14) Boeckh. Corp. Inscr. n. 3045.: *ὅπως τάν τε πόλιν αὐτῶν καὶ τὰν*

confirmatum ibidem commemoratur[15]). Ex singulis vero factis *τὴν ἀσυλίαν* sive templi sive luci sive alius loci minime puto derivandam esse, nisi certis illa documentis confirmetur. Ita de asyli jure templo Minervae in Athenarum acropoli addito nullum certum exstat testimonium. Nam Cylonis piaculum in illo templo commissum non magis *τὴν ἀσυλίαν* ejus testatur, quam *τὸ ἄγος τοῦ Παυσανίου* asylum templi Minervae Chalcioeci[15b]) vel *τὸ ἀπὸ Ταινάρου ἄγος* templi Neptuno consecrati[16]): quamquam hujus asylum Plutarchi testimonio supra allato confirmetur. — Erant tamen nonnulla templa propter summam numinis venerationem quasi sacrosancta, et quisquis supplex in ea confugerat, eum religio tuebatur[16b]).

Quidquid de asylis illis statuatur, hoc facile intelligitur, Romanorum ingenio provinciarumque administrandarum arti et rationi asylorum illorum jura atque immunitates religionemque sancte observatam minime respondere, minime placere potuisse. Nihilominus illarum civitatium priscis institutis non omni ex parte adversari voluerunt, ne prorsus inhumani dominique imperiosi esse viderentur. Romae quum Caesari occiso heroon cum asyli jure esset erectum, brevi tempore post ita omni ex parte illud est septum atque circumvallatum, ut nemo facile

---

χώραν ἐπιχωρήσωσι ἱερὰν εἶμεν καὶ ἄσυλον τοῦ Διονύσου. Cf. n. 3046 et seqq. tit. Plurima hujus asyli documenta in lapidibus exarata nobis servata sunt, quae Boeckh. in Corp. Inscr. l. c. in medium protulit.

15) N. 2557 ibid.

15b) Paus. III, 17, 7 de Pausania illo: *καὶ μόνον αὐτὸν ἱκετεύσαντα τὴν Χαλκίοικον ἁμαρτεῖν ἀδείας, κατ' ἄλλο μὲν οὐδὲν, φόνου δὲ ἄγος ἐκνίψασθαι μὴ δυνηθέντα.* Supplicibus igitur auxilio erat maxima hujus numinis reverentia, nisi *φόνου ἄγος* commisissent.

16) Thucyd. I, 126. 128.

16b) Paus. III, 5, 6.: *Τεγεᾶται δὲ αὐτὸν τῆς Ἀθηνᾶς ἱκέτην ἐδέξαντο τῆς Ἀλέας· ἦν δὲ ἄρα τὸ ἱερὸν τοῦτο ἐκ παλαιοῦ Πελοποννησίοις πᾶσιν αἰδέσιμον καὶ τοῖς αὐτόθι ἱκετεύουσιν ἀσφάλειαν μάλιστα παρείχετο.* Ad talem religionem conservandam asyli jus non requirebatur. Eodem modo Livius de templo in insula Delo: „Sanctitas templi insulaeque inviolatos praestabat omnes. Itaque permixti et Macedones et Eumenis navales socii in templo, inducias religione loci praebente, versabantur" (XXXXIV, 29). Incolae *ἱεροὶ* apud Herodotum appellantur (VI, 94).

accedere posset atque ita omne illud asyli jus prorsus esset inutile[17]).

Ab his civitatium asylis publicis illa *ἀσυλία* est distinguenda, quae a civitatibus civibus alienis, ut *προξένοις*, honoris caussa, publice concedi solebat, cujus plurimos testes habemus lapides inscriptos. Si qui erant cives de aliqua civitate aliena bene meriti, iis cum aliis honoribus beneficiisque haec etiam *ἀσυλία* tribuebatur, e. c. his verbis: *Δελφοὶ ἔδωκαν Λυκόφρονι Πολυάρχου Ναξίῳ, αὐτῷ καὶ ἐκγόνοις προξενίαν, εὐεργεσίαν, προμαντείαν, προεδρίαν, προδικίαν, ἀσυλίαν, ἀτέλειαν πάντων καὶ τἄλλα ὅσα καὶ τοῖς ἄλλοις προξένοις καὶ εὐεργέταις κτλ.*[18]). Haec in decretis Delphicis, quorum multa nobis servata sunt exempla. In aliis decretis adduntur *οἰκίας ἔγκτασις, ἐπινομία* aliaque emolumenta[19]).

§. 23.

Quum jam ad finem totius disquisitionis de civitatibus neocoris institutae perventum sit, quaeri denique licet, num civitates illae quodammodo excusari possint, quod cultum divinum ad imperatores Romanos transtulerint, deinde, num ille cultus aliqua tamen illis commoda attulerit. Fieri enim facile poterit, ut hoc omne argumentum hominibus doctis nonnullis, illis praesertim, qui ubique illibatam civitatium libertatem requirant, idcirco displiceat, quia adorationem illam cum adulatione sane exquisita conjunctam vehementer improbandam atque civitates illas neocoras graviter vituperandas censeant. Quod si gentium civitatiumque historias atque imperii Romani incrementa usque ad illa tempora, in quibus neocoria imperatorum institui coepit, diligentius consideremus, facile intelligetur, illarum gentium civitatiumque statum nullo modo immutari potuisse, quidquid suscipere atque contra Romanos moliri voluerint. Tanto enim robore imperium Romanum omni ex parte erat firmatum atque circumvallatum, ut nihil jam referret, quali odio aut quo favore

17) Dio. Cass. XXXXVII, c. 19.
18) Ern. Curtii Anecd. Delph. p. 79 seqq.
19) Cf. Boeckh. Corp. Inscr. n. 1335. 2053[b]. 2267. 2272.

illae gentes in Romanos uterentur imperatores. Fati tristissimi necessitas eas Mavortiae urbis arbitrio subjecerat; quam necessitatem nulla ratione effugere poterant. Egregie hoc Polybius significavit his verbis[20]: „*καθάπερ ἡ τύχη σχεδὸν ἅπαντα τὰ τῆς οἰκουμένης πράγματα πρὸς ἕν ἔκλινε μέρος, καὶ πάντα νεύειν ἠνάγκασε πρὸς ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν σκοπὸν κτλ.* — Quae si reputare velimus, profecto erit, cur miseras illas atque afflictas civitates excusemus, praesertim quum nihil fecerint aliud, quam quod recentiore aetate factum sit saepissime hodieque fieri soleat, ut imbecilliores potentioribus, cum quibus de libertate armis decertare minime possint, adulentur eorumque benevolentiam sibi quacunque ratione conciliare studeant.

Jam si quaeramus, num illa imperatorum neocoria cum aliqua utilitate fuerit conjuncta, hoc saltem affirmare possumus, tum mutuam certe benevolentiam ac comitatem esse excitatam et nutritam, qua multa crudelia et dira possent averti, tum architecturae illam atque arti statuariae sine dubio multum profuisse. Nam quum civitatium neocorarum numerus esset permagnus, templorum imperatoribus aedificatorum erat major, quum civitates primariae, atque opulentae, ut Ephesus, Smyrna, Pergamum, Nicomedia, Sardes, Perinthus, aliae, cuique novae neocoriae impetratae plerumque novum templum erigere atque imperatori consecrare solerent, atque minores tantum civitates minusve opulentae uno templo essent contentae, ut supra demonstratum est. Itaque architecti frequentem nacti sunt occasionem experiundi, quid possent in templis illis construendis atque exornandis. Praeterea in quoque templo imperatori alicui consecrato ejus simulacrum sive aeneum sive marmoreum erat collocandum, quod arti statuariae plurimum contulisse existimandum est[21]. Sine dubio pulcherrima signa hinc multa erant

---

20) Libr. I, 4.

21) Templa in nummis adumbrata plerumque imperatorem in iis stantem ostendunt, ut supra saepius vidimus. Sine dubio alia etiam signa imaginesque in illis collocari solebant. Nicomedensis nummus sub M. Aurelio cusus et *NIKOM. NEΩKO. OMONOIA* inscriptus, ostendit Concordiam in templo quattuor columnis ornato sedentem. Mionnet T. II,

exorta. Nam verisimile, artifices maximam operam dedisse, ut habitum imperatore dignum effingerent statuisque illis plurimum majestatis attribuerent, quum templum et statuam cives Romani atque imperatoris amici quotidie visere possent. Praeterea civitatium illarum, quae a sumptibus tam magnis impendendis non abhorrebant, non poterat non plurimum interesse, ut et templa et statuae imperatorum essent pulcherrimae[21b]).

Postremo silentio praeterire nequimus, illam ipsam neocoriam aliquid contulisse videri ad Christianae doctrinae cultum sincerum eo celerius admittendum atque propagandum, quo magis in illis urbibus, in quibus neocoria maxime floruisset, ejusmodi adorationis atque adulationis sine dubio taedere homines denique coepisset. Illud certe memorabile, in illis ipsis oppidis, quae maxime neocoriae multiplicatae atque repetitae honoribus celebrandis gavisa essent, primas ecclesias Christianas easque majores exstitisse, Ephesi nempe, Smyrnae, Pergami, Thyatirae, Sardibus, Philadelphiae, Laodiceae[22]). Nam uti homo diu studiis pravis rebusque inanibus occupatus, occasione data subito excitatus ad meliora transit, sic illae civitates, simul ac doctrinae sincerae de uno summo numine aeterno, universas mundi partes administrante atque conservante, propositae prima lux accensa eas collustrare coeperat, plurimi cives sine dubio omnem illum hominum mortalium vanum cultum statim omittendum atque unum illud summum numen putarunt sanctissime colendum, adorandum, invocandum[23]). In

---

p. 470, n. 327. Imperatorum statuae, nisi ex auro argentove nonnunquam factae sint (quales plerumque erant parvulae), tamen saepius inauratae fuerint. Nam inaurandi ars, republica adhuc florente jam usu recepta erat et usquequaque propagata. Cf. Cic. in Verr. II, 4, c. 62. Liv. XXXVII, 3. XXXIII, 27. XXXV, 41. Paus. VIII, 53, 3.

21b) De imperatorum simulacris eorumque habitu et forma humanam plerumque exsuperante nonnulla docuit O. Müllerus, Arch. art. p. 218. ed. II.

22) Cf. Apocalyps. c. I, v. 11.: „et mitte ad ecclesias Asianas, Ephesum, Smyrnam, Pergamum, Thyatiram, Sardes, Philadelphiam, Laodiceam."

23) Quanta celeritate in Asiae civitatibus fere omnibus doctrina

universum jam ante Constantinum Magnum, quo imperante doctrina Christiana in omnibus totius imperii Romani civitatibus et provinciis recepta et ab ipso imperatore sancita omnem cultum profanum expulerat, neocoriarum honores solemnes dudum erant aboliti atque prorsus evanuerant, quod ex nummis illorum temporum maxime intelligi potest.

Corollaria quattuor hic addenda putavimus, quorum argumenta cum nostra neocoriae interpretatione tum cognata sunt, tum arcte conjuncta. In primo provinciarum Romanarum status et condicio respiciuntur quaeriturque, qua ratione senatu populoque rempublicam moderantibus sint administratae et qua condicione sub imperatoribus sint usae. In secundo de sacerdotibus (flaminibus, sodalibus), qui Romae imperatoribus defunctis et consecratis constitui solerent, exponitur. Tertium corollarium statuarum hominibus positarum originem et honorem apud Graecos et Romanos complectitur. Quartum ad aras viris insignibus imperatoribusque Romanis erectas pertinet. Additus denique egregius Herodiani locus, quo imperatorum consecratio luculenter et copiose descripta est.

Christiana sit propagata, e Plinii junioris verbis quam maxime colligere possumus, qui Bithyniae provinciae administrandae praefectus ad Traianum scripsit epistolam de cognitionibus, quae de Christianis institui solebant. In qua epistola quum multa alia celerrimam cultus Christiani propagationem significent, tum haec maxime verba: „Visa est enim mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium *numerum*. Multi enim *omnis aetatis*, *omnis ordinis*, *utriusque sexus* etiam vocantur in periculum et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est: quae videtur sisti et corrigi posse. Certe satis constat, prope jam *desolata templa* coepisse celebrari et sacra solemnia diu intermissa repeti; passimque vaenire victimas, quarum adhuc *rarissimus emptor* inveniebatur.“ Ita Arnobius I, 13.: „Negliguntur dii, clamitant (sc. pagani), atque in templis jam raritas summa est.“ Idem ex Caecilii verbis apud Minuc. Felicem p. 81 intelligitur, qui veterum deorum cultum defendit atque satis acriter de doctrinae Christianae progressu queritur. „Per *universum*, inquit, *orbem* sacraria ista teterrima impiae coitionis *adolescunt*.“

Corollarium I.

De provinciis administrandis.

§. 1.

Ad argumentum de civitatibus neocoris propositum omni ex parte illustrandum earumque consilium atque studium excusandum quum multa alia tum provinciarum Romanarum civitatiumque Romae subjectarum accuratior cognitio (et republica libera vergente et regno inchoato), plurimum conferre poterit. In provinciis enim neocoria originem et incrementa nacta quam maxima usquequaque propagata est atque per tria fere saecula mirum quantum celebrata. Quarum statum igitur atque condicionem tum republica libera florente, tum imperatorum regno exorto si paullo diligentius contemplari atque comparare velimus, facile intelligemus, gravissimas exstitisse caussas, quae illas civitates ad neocorias imperatorum instituendas celebrandasque commovere possent. Nam quum regionibus illis in Romanorum potestatem provinciaeque formam redactis initio plerumque consules praetoresque pristina adhuc virtute et abstinentia insignes ad provincias administrandas missi minime avari, iniqui, improbi essent aut videri vellent [1]), raro tanta flagitia, et scelera sunt commissa, quanta inde a Marii et Syllae aetate a multis jam patrari coeperunt. Inde ab eo tempore proconsules atque propraetores, quibus sors provincias obtulerat, inventi haud pauci, qui provinciam pro fundo praediove habendam atque hinc divitias reportandas, hinc, quidquid expeteretur, comparandum putarent, donec lex et judicium de pecuniis repetundis constitutum infinitam cupiditatem paullisper cohiberet atque compesceret [2]). Verumtamen paullatim via est inventa

1) Cic. dininat. in Q. Caecil. c. 5.

2) Cic. in Verr. Act. II, lib. 4, c. 26 de L. Pisone praetore, qui ita abstinenter in Hispania administranda versatus est, ut quum in armis tractandis ejus annulus aureus esset fractus, aurificem in forum jusserit

ratioque inita, qua illam legem, illa judicia eluderent atque irrita facerent, corruptis nempe judicibus, quibus rapinarum pars ita est promissa et concessa, ut reum elabi paterentur. Gravissima hujus rei testimonia in Ciceronis orationibus nobis exhibentur, Verrinis maxime. quibus documentis nulla nobis ab antiquitate relicta sunt uberiora ad provinciarum administrandarum rationem omni ex parte intelligendam. Gravissima verba de hoc argumento in Verr. Act. I, c. 14 protulit, digna sane, quae adducantur: „Ex quo mihi venit in mentem illud dicere, quod apud M. Glabrionem nuper cum in rejiciendis judicibus commemorassem, intellexi vehementer populum Romanum commoveri: me arbitrari fore, uti nationes exterae legatos ad populum Romanum mitterent, ut lex de pecuniis repetundis judiciumque tolleretur. Si enim judicia nulla sint, tantum unumquemque ablaturum putant, quantum sibi ac liberis suis satis esse arbitrarentur. Nunc quod ejusmodi judicia sint, tantum unumquemque auferre, quantum sibi, patronis, advocatis, praetoribus, judicibus satis futurum sit: hoc profecto infinitum esse: se avarissimi hominis cupiditati satisfacere posse, nocentissimae victoriae non posse" [3]). — Ciceronis aetate provincias ditissimas quasque crudeliter vexatas, impudenter direptas et haud raro ad summam paupertatem esse redactas, multae Ciceronis orationes

vocari ad sellam eique palam aurum appenderit ad novum annulum faciendum, nempe ut omnes conspicerent, qua ratione sibi annulum novum pararet: non clandestinis artibus, rapinis donisve expetitis. Addit Cic. „Filius enim L. Pisonis erat, ejus, qui primus de pecuniis repetundis legem tulit. Cic. div. in Q. Caecil. c. 5.: Haec lex socialis est, hoc jus nationum exterarum est, hanc habent arcem, minus aliquanto nunc quidem munitam quam antea, etc.

3) Eadem sententia aliis locis vario modo tractatur: Cic. in Verr. Act. I, c. 1.: „Inveteravit enim jam opinio perniciosa reipublicae vobisque periculosa: quae non modo Romae, sed et apud exteras nationes omnium sermone percrebuit, his judiciis, quae nunc sint, pecuniosum hominem, quamvis sit nocens, neminem posse damnari." Ibidem c. 2.: „qui (Verres) ita dictitat, iis esse metuendum, qui quod ipsis solis satis essent, surripuissent: se tantum rapuisse, ut id multis satis esse possit. Nihil esse tam sanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit."

luculentis declarante xemplis [3b]) Verrinae inprimis documenta exquisita omnis crudelitatis atque libidinis, omnis flagitii ac sceleris in provinciis commissi nobis exhibent: sempiternum illae Romanorum opprobrium disertis verbis descriptum ad nostram propagarunt memoriam. Siculi certe Ciceroni, Verris accusatori constituto, satis breviter atque fidenter aperuerunt: „quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in suppliciis, avaritia in rapinis, superbia in contumeliis efficere potuisset, eas omnes sese hoc uno praetore per triennium pertulisse“ [4]). Quae flagitia atque scelera idem Verres legatus in Asia committere sit ausus, incredibile dictu. Quis enim est nostrum, quem post duo paene annorum millia Philodami, senis illius honestissimi, genere, honore, copiis, existimatione principis Lampsacenorum, non vehementer misereat, qui quum a filia sua honestissima perinde ac pulcherrima, virgine summae integritatis ac pudicitiae, Verris legati improbam cupiditatem et vim nefariam propulsare esset ausus atque tumultu orto Verris lictor a Lampsacenis esset trucidatus, Cn. Dolabellae et C. Neronis improbissimo judicio damnatus est atque una cum filio interfectus? Immane hoc facinus Cicero nobis copiosa oratione descripsit [5]). Cujus misericordiam illa saltem verba non movere possunt? „Constituitur in foro Laodiceae spectaculum acerbum et miserum et grave toti Asiae provinciae: grandis natu parens adductus ad supplicium, ex altera parte filius: ille, quod pudicitiam liberorum, hic, quod vitam patris famamque sororis defenderat. Flebat uterque non de suo supplicio, sed pater de filii morte, de patris filius“ etc. [6]). Aliud scelus admirabile idem Verres in Achaia patravit. Nam quum magistratum Sicyonium nummos poposcisset isque non praebuisset, principem ejus magistratus miris tormentis maceravit. „Ignem enim ex lignis viridibus atque humidis in loco angusto fieri jussit. Ibi hominem ingenuum, domi nobilem, populi Romani socium atque amicum, fumo

3b) Cf. Orat. de provinc. cons. c. 4. 5.

4) Divinat. in Q. Caecil. c. I.

5) In Verr. Act. II, libr. I, c. 24—34.

6) Cap. 30.

excruciatum, semivivum reliquit[7]). Talia republica Romanorum libera in provinciis patrari impune licuit. Quis tandem, his sceleribus cognitis, non solum illam, sed omnem rempublicam liberam, quocunque illa sese nomine jactet, abominetur, quippe quum haud raro illa nihil aliud fuerit, nisi multorum tyrannorum dominatio gravissima atque scelestissima? Sine dubio provinciae Romanorum rempublicam saepissime sunt exsecratae. Equidem contendere ausim, si quis nihil aliud cognosset de provinciarum statu diverso, senatu populoque et deinde imperatoribus rempublicam regentibus, quam tanta scelera, quae Verres commisisset, sub imperatoribus patrari non licuisse, id ei sufficere posse ad intelligendum, cur civitates illae tantos honores imperatoribus tribuerint, quantos neocoria instituta est complexa. — Nobis sane non potest non perquam mirum et paene incredibile videri, qua ratione tandem fieri potuerit, ut homini impurissimo, audacissimo, sceleratissimo, cujus furta atque flagitia non in Sicilia solum, sed in Achaia, Asia, Cilicia, Pamphylia, Romae denique ante oculos omnium maxima turpissimaque nossent cives Romani, ut Cicero exposuit, tam diu impune grassari liceret[8]). Addit orator: „Populatae, vexatae, funditus eversae provinciae: socii, stipendiariique populi Romani afflicti, miseri, jam non salutis spem, sed exitii solatium quaerunt“[9]). Inducit deinde Siciliam insulam ita loquentem: „Quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis urbibus, sedibus, delubris fuit: quod in unaquaque re beneficio senatus populique Romani juris habui, id mihi tu, C. Verres, eripuisti atque abstulisti.“ Quod si nullum aliud nobis testimonium esset relictum, quid illo tempore in provinciis administrandis pessimis hominibus licuerit, hoc unum sufficeret. Sed permulta alia nobis exempla sunt tradita. Ciceronis aetate Verri simillimus erat

7) Cic. in Verr. Act. II, libr. I, c. 17.

8) Divinat. in Q. Caecilium c. 2.

9) Ibid. c. 3. Quantas, quam inauditas injurias idem Verres in judiciis habendis admiserit, incredibile dictu. Cf. Act. II, 2, 27—30. Quam diversa judicandi ratio sub imperatoribus probis obtinuerit, Traiani exemplum quam maxime potest docere. Cf. Plin. Ep. VI, 31.

Caesoninus Calventius, qui urbem Byzantiorum aliasque civitates impudenter spoliaverat[10]). Provinciarum vastitates Cicero saepius memoravit[11]). Multi proconsules atque propraetores eo consilio in provinciam sunt profecti, ut quantas possent divitias inde Romam reportarent. Et non solum ipsis hoc erat propositum, sed plerumque et quaestoribus, legatis, omni amicorum comitumque cohorti, quae illos comitari solebat[11b]). Hinc illae provinciarum lacrimae: hinc illae opes immensae, quibus multi optimatium erant instructi: hinc villae splendidae, praedia amplissima et latifundia: hinc illae comessationes inauditae, innumeraque supremae luxuriae genera. Atqui quum multis idem esset propositum, non potuit fieri, quin haec diripiendi ratio in senatu multos haberet patronos ac fautores, etiamsi eorum nemo tam impudens inveniretur, qui id apertis verbis confiteri auderet. Sine dubio tamen illam agendi rationem verbis lenissimis excusare et maleficia gravissima in meliorem partem interpretari solebant. Cf. Cic. pro Flacc. c. 11. Haud minus illud pro certo habendum, multos juniores Romanorum eo maxime consilio ardenter id egisse, ut celerrime ad quaesturam, aedilitatem, praeturam et consulatum admitterentur, ut eo maturius aliquam provinciam sortiri atque hinc locupletes Romam ad vitam luxuriosam degendam reverti possent, quum potentissimis amicis cognatisque freti legem de pecuniis repetundis non magnopere timerent, ut supra expositum. Immo quaeri poterit, num inde a bellis Punicis finitis victoriaque de Antiocho Syriae atque Philippo et Perseo Macedoniae regibus reportata

10) Postquam orat. de provinc. cons. c. 4 urbem Byzantiorum refertissimam atque ornatissimam signis designaverat, addit: „Te imperatore infelicissimo et teterrimo, Caesonine Calventi, civitas libera et proximis suis beneficiis a senatu et a populo Romano liberata sic spoliata atque nudata est, ut nisi C. Virgilius, legatus, vir fortis et innocens, intervenisset, unum signum Byzantii ex maximo numero nullum haberent. Quod fanum in Achaia, qui locus aut lucus in Graecia tota tam sanctus fuit, in quo ullum simulacrum, ullum ornamentum reliquum sit?“.

11) Ibid. c. 5.

11b) Cf. Cic. in Verr. II, libr. 2, c. 30.

in senatu Romano non id sive arcano sive aperto sit actum consilio, ut provinciae potentissimae civitatesque Romae subjectae praestantiores ita administrarentur, ut ne nimis sese recreare atque crescere, ut ne viribus reparatis sese erigere atque Romanis ipsis aliquando negotia exhibere possent. De qua conjectura sit tamen suum penes quemque judicium. Aliquam certe probabilitatem haec opinio sibi apud eum facile acquisiverit qui praestantissimas potentissimasque urbes Numantiam, Carthaginem, Corinthum, eo ipso consilio prorsus deletas esse meminerit, qui Catonem illum, alioquin virum integerrimum, suam improbam exhortationem, „Carthaginem esse delendam" usquequaque inculcasse recordari velit. Noluit enim senatus illas florentes videre, noluit perpetuo timere. — Quomodo enim tot flagitia atque scelera quotannis fere patrari potuissent, nisi ista provincias exhauriendi atque infringendi ratio in senatu frequentes nacta esset defensores [12]), quum pauciores essent viri boni et honesti, qui neque ipsi ex provinciis divites reverti vellent, neque aliis, ut illas impune diriperent, permittendum putarent. Huc accedit, quod milites ex provinciis collecti, illa nempe auxilia tam frequenter memorata, sive legiones auxiliares atque sociales copiae dictae, bellis assiduis maxime consumebantur. Ita sane factum, ut provinciae quotannis opibus spoliatae, juventutis flore orbatae, exhaustae oneribusque impositis defatigatae ne minimam quidem rerum novarum suspicionem excitare possent. — Illis malis publicis alia pestis est addita, privata haec quidem plerumque, at cum illis tamen haud raro arctissime conjuncta: publicanos, foeneratores, negotiatores, decumanos et omne hoc genus hominum intelligo, qui quum

12) Huc pertinent, quae Cic. in Verr. Act. II, 3, 4; „Ex quo intelligi potest, eos vobis esse carissimos, qui ita vixerunt, ut sine vestro praesidio salvi esse non possint." Hortensium enim nobilesque perstringit. Antea dixit: „Odistis hominum novorum industrias: despicitis eorum frugalitatem: pudorem contemnitis: ingenium vero et virtutem depressam exstinctamque cupitis. Verrem amatis." Ambitus furorem paullo ante Caesaris dictaturam quidvis ausum ac sine omni pudore grassatum ex multis veterum locis cognoscere possumus. Cf. Suet. Caes. c. 13. Tac. Ann. I, 2.

cives Romani essent, pessimis hominibus provincias administrantibus impudenter grassari atque illorum auxilio freti provinciales miserrimos omni modo vexare illisque pecunias impune extorquere poterant [12b]). Immo homines locupletes illorum artibus improbissimis haud raro omnibus fortunis sunt spoliati domibusque suis, praediis, fundis crudeliter exturbati. Exempla praebent Ciceronis orationes atque epistolae.

Quas vero miserias bellis civilibus provinciae illae sint perpessae, auditu incredibile. Jam omni discrimine sublato non solum provincialibus hominibus summae calamitates erant perferendae, sed civibus etiam Romanis, qui in provinciis degebant (Cic. ad Fam. XII, 15.: praecipue civibus Romanis omnibus crudelissime denudatis ac divenditis). Ita M. Antonius in Asia multa crudelissime patravit, pecuniis colligendis maxime deditus [13]), ut alia silentio praetermittamus.

Quodsi fortuna provinciae alicui ita esset propitia, ut nancisceretur praefectum justum, honestum, integrum, omni virtute insignem, tum sane eum veluti deum colebant, omnique ratione laudandum, honorandum, decorandum putabant. Hinc illae laudes Pompeio a Cicerone tributae [14]): „Itaque omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompeium sicut aliquem non ex hac urbe missum, sed de coelo lapsum intuentur: nunc denique incipiunt credere, fuisse homines Romanos hac quondam abstinentia,

---

12b) Cic. in Verr. II, I, 29: „Erant nonnulli togati creditores Graecorum, quibus ad exigendas pecunias improbissimi cujusque legati plurimum prodest gratia.“ Paullo inferius: „Qui si dixisset, quod iste jussisset, per ejusdem lictores a populo pecuniam posset exigere.“ Act. II, libr. III, c. 8: „qui primum certos instituerit nomine decumanos, re vera ministros ac satellites cupiditatum suarum.“ Cic. pro M. Fonteio c. 1.: „Referta Gallia negotiatorum est, plena civium Romanorum. Nemo Gallorum sine cive Romano quidquam negotii gerit: nummus in Gallia nullus sine civium Romanorum tabulis commovetur.“

13) Dio Cass. XXXXVIII, 24.: *τάς τε πόλεις ἠργυρολόγει καὶ τὰς δυναστείας ἐπίπρασκε.* Et sub finem ejusdem capitis: *καὶ πολλὰ καὶ κατὰ τοῦτο τῶν ἐθνῶν, ἅτε καὶ ἀλλοτρίως τοῖς Ῥωμαίοις διὰ τὴν συνεχῆ κάκωσιν ἔχοντα κτλ.*

14) Pro lege Manil. c. 14.

quod jam nationibus exteris incredibile ac falso memoriae proditum videbatur: nunc imperii nostri splendor illis gentibus lucet: nunc intelligunt, non sine caussa majores suos tum, cum hac temperantia magistratus habebamus, servire populo Romano quam imperare aliis maluisse.“ Ex hoc ipso loco initium atque originem neocoriae quam maxime intelligere possumus. Nam quum civitates illae virum honestum, justum sibique benignum quasi de coelo lapsum suspicerent, h. e. deo similem haberent, eorum opinioni ac judicio plane fuisset consentaneum, si eidem aram sive templum consecrassent et velut deum adorassent, quod sub imperatoribus demum factum. Talis enim homo miserrimis illis provincialibus ut deus propitius salutem afferre eosque ab improbis magistratibus diu vexatos recreare atque spe melioris condicionis futurae eorum animos erigere potuit.

Haec de provinciarum condicione senatu populoque Romano rempublicam moderantibus. Pauca ex multis et quae in promptu erant, in medium protuli: nec erat aliud mihi propositum, nisi ut imaginem extremis lineis adumbratam exhiberem.

§. 2.

Alia provinciarum condicio inde a Caesaris dictatura, quae, ut Cicero ait, vim regiae potestatis jam obsederat[15]), et deinde Augusto Tiberioque imperantibus obtinere coepit. Licet enim non omni diripiendi cupiditate repressa, licet multa etiamtum improbis studiis pravisque consiliis sint administrata[16]), habebant tamen proconsules atque propraetores, legati ac quaestores omnesque magistratus in provincias missi, quem respicerent, quem timerent, si avaritia ad rapinas, si libidine ad flagitia, si truculento animo ad crudelitatem stimularentur. Inde ab eo tempore provinciae afflictae, exhaustae, novorum identidem praefectorum vel dominorum potius cupiditati vix jam sufficientes sine dubio intelligebant, ipsis magnopere prodesse, Romanos habere dominum, qui improbos a scelere ac flagitio deterreret,

15) Cic. Philipp. I, c. 1.
16) Suet. Caes. c. 76. 79.

proborum virtutem agnosceret, honore dignam censeret eosque improbis praeferret. Provinciarum voluntatem, Octaviano Augusto jam principatum obtinente, Tacitus egregie testatur: „Neque provinciae illum rerum statum abnuebant, suspecto senatus populique imperio ob certamina potentium et avaritiam magistratuum, invalido legum auxilio, quae vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur“ [17]). Sine dubio principes honesti operam dederunt, ut provinciae civitatesque dudum exhaustae paullatim in meliorem statum redigerentur: principes improbi non ita tamen ab omni honesti studio atque a gloriae, famae, existimationis bonae cupiditate abhorruerunt, quin plerumque viris probis, fide ac virtute praeditis provincias decernendas curarent, quod et Tiberio et Claudio et Nerone imperantibus factum.

---

17) Ann. I, 2. Immo Romanis ipsis Augusti principatus jam magis placere coeperat, quam praeterlapsi temporis respublica libera, factionum, seditionum, tumultus, bellorum civilium plena, quod Dionis Cassii verba testantur: *Τό τε γὰρ δημοκρατικὸν ἤδη τινὲς, ὡς καὶ στασιῶδες, ἐμίσουν καὶ τῇ μεταστάσει τῆς πολιτείας ἠρέσκοντο τῷ τε Καίσαρι ἔχαιρον.* LIII, c. 11. Tacit. Ann. I, 9.: „Non aliud discordantis patriae remedium fuisse, quam ut ab uno regeretur.“ Caesar ipse monuisse fertur, „rempublicam, si quid sibi eveniret, neque quietam fore, et aliquanto deteriore condicione civilia bella subituram.“ Suet. Caes. c. 86. Dio Cass. LIII, 19.: „*Ἡ μὲν οὖν πολιτεία οὕτω τότε πρός τε τὸ βέλτιον καὶ πρὸς τὸ σωτηριωδέστερον μετεκοσμήθη* (sub Augusto): *καὶ γάρ που καὶ παντάπασιν ἀδύνατον ἦν, δημοκρατουμένους αὐτοὺς σωθῆναι.* — Cicero, utpote in rebus futuris intelligendis divinandisque satis sagax atque exercitatus, ad Atticum suum de bello civili inter Pompeium et Caesarem orto haec pronunciavit (ad Att. X, 7): „Regnandi contentio est, in qua pulsus est modestior rex (Pompeius) et probior et integrior et is, qui nisi vincit, nomen populi Romani (h. e. rei publicae dignitas pristinusque splendor) deleatur necesse est: sin autem vincit, Sullano more exemploque vincet“. Intellexit igitur, inde a Caesare (victore futuro) rempublicam oppressam nunquam libertatem esse recuperaturam, quod tali viro, qualis semper fuerat Cicero, idem valuit quam nomen populi Romani deletum. Quodsi Pompeius vicisset, sine dubio Sullano more et exemplo aliquod dominationis genus, sive dictaturam sive aliam regnandi formam arripuisset et deinde satiatus Sullae exemplo fortasse deposuisset. Quidquid igitur futurum esset, reipublicae incolumitatem atque libertatem sinceram haud diu conservatum iri Cicero prudenter intellexerat.

Praeterea nec pessimi homines quidem, si iis provinciae essent commissae, ita principis favori confidere poterant, quin poena esset metuenda, si leges migrarent, si aequitatem atque justitiam prorsus contemnerent. Fieri enim potuit, ut princeps (ut mali in amicos etiam sunt lubrici et fallaces) integritatis speciem atque existimationis opinionem illorum patrocinio suscepto praeferret eosque senatui puniendos permitteret, quod saepius esse factum Taciti Annales testantur. — Nihilominus etiamtum scelerum et flagitiorum in provinciis commissorum exempla sunt reperta non contemnenda, verumtamen si cum illis, quae respublica viderat libera, comparentur, exigua sane et plerumque celerius graviusque punita. Ex altera parte sine dubio sub imperatoribus majora et plura beneficia, commoda, emolumenta sunt provinciis concessa, saepiusque laborantibus est subventum, quam republica libera. Nam sub pessimis etiam principibus haud raro factum est, ut provinciae aut penuria et fame, aut peste, aut terrae motu, aut incendiis vexatae sive tributo in aliquot annos remisso, sive frumento dato, sive pecunia numerata aliisve rebus sint egregie adjutae atque erectae.

Ut inde a Iul. Caesare ordiamur, de eo Suetonius tradit, jus eum laboriosissime et severissime dixisse, repetundarum convictos etiam ordine senatorio movisse [18]). Ex quo apparet, eum provincias minime vexari ac diripi esse passum, quamquam ipse ante dictaturam in Hispania et Gallia nonnunquam fana expilasset urbesque diripuisset [19]). Jam Augustum respiciamus videamusque, quid in provinciis adjuvandis earumque calamitatibus levandis praestiterit. Suetonius de illo imperatorum coryphaeo haec refert: ,,Provincias validiores et quas annuis magistratuum imperiis regi nec facile nec tutum erat, ipse suscepit: ceteras proconsulibus sortito permissit: et tamen nonnullas commutavit interdum: atque ex utroque genere plerasque

18) Suet. Caes. c. 48. Comis etiam ac blandus provincialibus fuit. Suet. c. 48.: ,,Convivatum assidue per provincias duobus tricliniis: uno, quo sagati palliative, altero, quo togati cum illustrioribus provinciarum discumberent.“

19) Suet. Caes. c. 54.

saepius adiit. Urbium quasdam foederatas, sed ad exitium licentia praecipites libertate privavit: alias aut aere alieno laborantes levavit aut terrae motu subversas denuo condidit: aut merita erga populum Romanum allegantes Latinitate vel civitate donavit. Non est, ut opinor, provincia, excepta duntaxat Africa et Sardinia, quam non adierit"[20]). Poenas eum gravissimas provinciarum direptoribus irrogasse, ex alio ejusdem scriptoris testimonio cernitur: „Paedagogum ministrosque Gaii filii, per occasionem valetudinis atque mortis superbe avareque in provincia grassantes, oneratis gravi pondere cervicibus, praecipitavit in flumen"[21]). Hinc minime mirum, provincias plerasque super templa et aras ludos quoque ei quinquennales paene oppidatim constituisse, ut jam supra ex Suetonio narratum. Praeterea provincias nova ratione distribuerat[22]). Haec de Augusto, quibus alia multa addi possunt. Tiberius primis imperii annis in rebus plerisque Augusti vestigia sequi solitus, in provinciis administrandis etiam caute pleraque ac diligenter egit. Tacitus complura nobis de eo tradidit, quae ad provincias moderandas spectant: „Achaiam ac Macedoniam, onera deprecantes levari in praesens proconsulari imperio tradique Caesari placuit"[23]). Deinde de Cappadocia refert: „regnum in provinciam redactum est, fructibusque ejus levari posse centesimae vectigal professus Caesar, ducentesimam in posterum statuit"[24]). Praeterea duodecim Asiae urbes celebres nocturno terrae motu collapsas adjuvit et sublevavit. Sardianis maximam cladem passis centies sestertium est pollicitus et quantum aerario aut fisco quotannis pendere solebant, in quinquennium remisit[25]). Eadem benevolentia saepius erga alias usus est civitates simili calamitate

20) Suet. Caes. c. 47. Cf. Dio Cass. LIV, 23. aliisque locis.

21) C. 67. Quum alias ob caussas, tum sine dubio idcirco etiam Cornel. Gallus Augusto invisus erat factus, quod ditior ex Aegypto administrata esset reversus. Cf. Dio Cass. LIII, 23.

22) Dio Cass. LIII, 12—15.

23) Ann. I, 86.

24) Ann. II, 42.

25) Ann. II, 47.

afflictas: „Tiberius, nihil intermissa rerum cura negotia pro solatiis accipiens, jus civium, preces sociorum tractabat: factaque auctore eo senatus consulta, ut civitati Cibyraticae apud Asiam, Aegiensi apud Achaiam, motu terrae labefactis subveniretur remissione tributi in triennium.“ His statim exemplum poenae a Tiberio in proconsulem ulterioris Hispaniae constitutae subjungitur his verbis: „Et Vibius Serenus, proconsul ulterioris Hispaniae, de vi publica damnatus, ob atrocitatem morum in insulam Amorgum deportatur“ [26]). Complura hujus generis exempla apud Tacitum reperiuntur. Quum Lucilius Capito, procurator Asiae, a provincia accusatus caussam in senatu diceret, Tiberius asseverabat; non se jus nisi in servitia et pecunias familiares dedisse: quod si vim praetoris usurpasset manibusque militum usus foret, spreta in eo mandata sua: audirent socios“ [27]). Addit Tacitus: „Ita reus, cognito negotio, damnatur. Ob quam ultionem et quia priore anno in C. Silanum vindicatum erat, decrevere Asiae urbes templum Tiberio matrique ejus ac Senatui.“ De quo templo supra disputavimus. Subsequentes imperatores silentio praetermittamus, licet vel a pessimis haud raro viri probi et impigri provinciis sint praefecti, multa commoda et beneficia in eas collata provinciarumque direptores acriter sint puniti [28]). Sub Traiano

26) Tac. Ann. IV, 13. Alio loco, libr. VI, 27., Tiberius queritur litteris ad senatum datis „egregium quemque et regendis exercitibus idoneum abnuere id munus: seque ea necessitudine ad preces cogi, per quas consularium aliqui capessere provincias adigerentur.“ Cf. VI, 29. 32.

27) Ann. IV, 15. Provinciae nempe eo tempore jam divisae erant in proconsulares, praetorias et praesidiales, prout a proconsule, a propraetore aut a procuratore sive praeside regebantur. Ex nostro loco apparet, procuratori minime licuisse, vim praetoris usurpare.

28) Cf. Suet. Calig. c. 21. — Ad istos quidem ea pertinent maxime, quae Tacitus Hist. I, 2 perstrinxit: „Nec minus praemia delatorum invisa, quam scelera, quum alii sacerdotia et consulatus ut spolia adepti, procurationes alii et interiorem potentiam, agerent, verterent cuncta odio et terrore.“ Nero tamen duces non spernendos in provincias miserat. Ibid. c. 10. — Eo imperante judicia etiam non negligenter tractata. Tac. Ann. XIII, 30.: „Damnatus iisdem consulibus Vipsanius Laenas ob Sardiniam provinciam avare habitam. Absolutus Cestius Proculus repetun-

provinciarum ratio diligenter est habita nec facile ad eas administrandas homines improbi sunt missi. Nihilominus exstiterunt, quos ad provincias spoliandas avaritia compelleret. Exempla praebet Plinius: „Caecilius Classicus, homo foedus et aperte malus, proconsulatum in ea (provincia Baetica) non minus violenter quam sordide gesserat, eodem anno quo in Africa Marius Priscus. — — — Miserat etiam epistolas Romam ad amiculam quandam, jactantes et gloriosas, his quidem verbis: Io, Io, Liber ad te venio. jam sestertium quadragies redegi, parte vendita Baeticorum" [29]). Aliud exemplum alio loco profert [30]), ex quo intelligitur, et accusationes et defensiones acerrime peragi solitas. Verumtamen sub illo principe scelera impune committere nulli licuit, quum commoda innumera ab ejus benevolentia in provincias emanarent. Hoc praeter alia documenta Plinii epistolae atque Traiani responsa de Nicomedensium aquaeductu, de theatro et gymnasio Nicaeensium, de Claudiopolitanorum balineo, de Nicomedensium lacu aliisque rebus scripta luculenter declarare possunt [30b]). Onera, tributa, vectigalia levavit imminuitque quantum licuit [31]). Sub ejus imperio Hadrianus militiae dux strenuus optimisque artibus praeditus procuratores latius evagantes coercuit [31b]). De Hadriano, An-

darum, cedentibus accusatoribus" etc. Hist. I, 77.: „Redditus Cadio Rufo, Pedio Blaeso, Sevino Pomtino senatorius locus: repetundarum criminibus sub Claudio ac Nerone ceciderant." Cossutianus Capito, quem Cilices detulerant, lege repetundarum damnatus est. Ann. XIII, c. 33. Huc illud etiam referri poterit Ann. XIII, 31.: „Edixit Caesar (Nero), ne quis magistratus aut procurator, qui provinciam obtineret, spectaculum gladiatorum aut ferarum aut quod aliud ludicrum ederet. Nam ante non minus tali largitione, quam corripiendis pecuniis subjectos adfligebant, dum, quae libidine deliquerant, ambitu propugnant." Multa hoc genus alia ex diversis scriptoribus, Tacito, Dione Cassio, Suetonio, Plinio juniore, aliis congeri possunt.

29) Epist. III, 9, 1. 2.

30) Libr. IV, ep. 9.

30b) Epist. X, 46—51.

31) Cf. Plin. Paneygr. c. 37 seqq.

31b) Ael. Spart. vit. Adriani Caes. c. 3, p. 37. Scr. h. Aug. T. I.

tonino Pio, M. Aurelio etiamsi nullum exstaret testimonium, tamen conjicere possemus, eos operam dedisse, ut provinciarum onera levarentur, ut quacunque ratione possent, adjuvarentur. Itaque Iul. Capitolinus de imperio Antonini Pii atque de provinciis in universum gravissimum testimonium ad nostram propagavit memoriam his verbis: „Provinciae sub eo cunctae floruerunt"[32]. De eodem imperatore refert: „procuratores suos modeste suscipere tributa jussit: excedentes modum rationem factorum suorum reddere praecepit: nec unquam laetatus est lucro, quo provincialis oppressus est. Contra procuratores suos conquerentes libenter audivit"[33]. Alio loco addit de eo: „fuitque ea constantia, ut septenis et novenis annis in provinciis bonos praesides detineret"[33b]. Idem scriptor de M. Aurel. Antonino: „Provincias ex proconsularibus consulares, aut ex consularibus proconsulares aut praetorias pro belli necessitate fecit"[34]. Deinde: „et oppidis labentibus auxilium tulit, et tributa vel vectigalia, ubi necessitas cogebat, remisit"[35]. Iisdem temporibus vero plurimae imperatorum neocoriae in civitatibus maxime Asianis institutae sunt et celebratae. Institutas vero ut diligenter conservarent atque tempore constituto earum solemnia celebrarent, sub imperatoribus improbis eo magis necessarium videbatur, ne negligentiam illi in malam partem interpretarentur, nisi forte successor hostis esset antecedentis factus. Sub Commodo provinciarum condicio non statim immutata est, quippe quum ab ejus patre viri strenui, probi et honesti iis administrandis essent praefecti. Ipse tamen postquam, omni honesti decorique sensu exuto, omnibus flagitiis contaminari coeperat, provinciis etiam damna attulit haud contemnenda. Aelius Lampridius tradit: „Vendidit etiam provincias et administrationes, quum hi per quos venderet, partem acciperent,

32) Vit. Antonini Pii c. 7, p. 261. Scr. hist. Aug. T. I. Lugd. Bat. 1671.

33) Ibid. c. 6, p. 259.

33b) Id. vit. Anton. Pii c. 5, p. 258.

34) Vit. M. Antonini c. 22, p. 374. ibid. Salmasius.

35) Ibid. c. 23, p. 377.

partem vero Commodus" [36]). Talia nemo subsequentium imperatorum commisit, nisi forte Elagabalus fecerit, de quo quidem Ael. Lampridius refert, eum plerosque eunuchos rationibus et procurationibus praeposuisse [37]). Alexander Severus provinciis moderandis egregie prospexit. Lampridius de eo principe haec tradit: „Provincias praetorias praesidiales plurimas fecit: proconsulares ex senatus voluntate ordinavit" [38]). Instituit etiam, „ut praesides provinciarum acciperent argenti pondo vicena, phialas senas, mulos binos, equos binos, vestes forenses binas, domesticas singulas, balneares singulas, aureos centenos, cocos singulos: et si uxores non haberent, singulas concubinas (quod sine his esse non possent), reddituri deposita administratione mulas, mulos, equos, muliones et cocos: cetera sibi habituri, si bene egissent: in quadruplum reddituri, si male. Praeter condemnationem aut peculatus, aut repetundarum leges innumeras sanxit" [39]). His quae adhuc attulimus, jam acquiescere possumus, quum tum ante Alexandri Severi aetatem, tum eo ipso imperante pleraeque civitatium neocoriae jam essent institutae. Apparet tamen ex hac omni comparatione condicionis et status provinciarum, quali et republica adhuc libera et deinde sub imperatoribus sint usae, magnis eas caussis ad neocorias instituendas esse compulsas, nec a nobis illas ideo graviter esse vituperandas. Habebant sane, quid sequerentur, habebant, cur imperatores sibi propitios vellent. Nam quae provincia imperatoris favorem erat nacta, ea sperare certe potuit, haud improbum proconsulem, propraetorem, praesidem sive procuratorem sibi missum iri, nec erat levius discrimen inter virum integrum et pravum, quam inter summas miserias et meliorem vitae condicionem, inter perniciem et salutem. Praeterea imperatores multa emolumenta, beneficia, privilegia,

---

36) Vit. Commod. c. 14, p. 513. Scr. h. Aug. T. I.

37) Vit. Alex. Severi c. 23, p. 917.

38) Ibid. c. 24, p. 917.

39) Ibid. c. 42, p. 989 seqq. Conferri cum his possunt quae de salariis donisque imperatorum plane singularibus seriore aetate usitatis infra afferenda putavimus.

immunitates, tributorum vectigaliumque remissiones, similiaque commoda in provincias singulasve civitates conferre easque in magnis aedificiis publicis erigendis adjuvare, fame, peste, terrae motu similibusque cladibus afflictis opitulari, vicinorum injurias ab iis propulsare, insignes viros summis honoribus ornare poterant. Ab infensis imperatoribus, praesertim improbis, non erat, quod illorum emolumentorum quidquam sperarent, immo adversa potius omnia, injurias, aerumnas, detrimenta exspectare poterant, nec non infirmum patrocinium, si a proconsulibus praesidibusve vexatae ac direptae eos repetundarum lege accusare vellent. Haec de provinciarum statu ac condicione sub imperatoribus atque de emolumentis a bonis principibus in illas conferri solitis. — His nonnulla lectu sane digna putavi addenda tum de salariis ducum tribunorumque militarium subsequente tempore paullatim mirum quantum auctis, tum de immensis donis muneribusque, quae a serioris aetatis imperatoribus in provinciarum procuratores atque legionum duces sint collata, ut eorum benevolentiam, fidem animumque addictum sibi conservarent. Duas epistolas afferam a Trebellio Pollione nobis conservatas, alteram Valeriani, alteram Gallieni. Epistola Valeriani ad Zosimionem procuratorem Syriae his verbis est scripta[40]): „Claudium Illyricianae gentis virum, tribunum Martiae quintae legioni fortissimae dedimus, virum devotissimis quibusque ac fortissimis veterum praeferendum. Huic salarium de nostro privato aerario dabis annuos frumenti modios tria millia, hordei sex millia, laridi libras duo millia, vini veteris sextarios tria millia quingentos, olei boni sextarios centum quinquaginta, olei secundi sextarios sexcentos, salis modios viginti, cerae pondo centum quinquaginta, foeni, paleae, aceti, oleris, herbarum quantum satis est, pellium tentoriarum decurias triginta, mulos annuos sex, equos annuos tres, camelos annuas decem, mulas annuas novem: argenti in opere[41]) annua

40) Treb. Poll. vit. Claudii c. 14, p. 381 seqq. T. II. Scr. hist. Aug.
41) Argentum in opere est argentum factum, non signatum: e. c. vascula argentea, pocula, aliaque utensilia.

pondo quinquaginta, philippeos nostri vultus [42]) annuos centum quinquaginta, et in strenis quadraginta septem et trientes centum sexaginta. Item in caucos et scyphos pondo undecim: item in caucos et scyphos et zuma pondo undecim [43]). Tunicas russas militares annuas, sagochlamydes annuas duas, fibulas argenteas inauratas duas, fibulam auream cum acu Cyprea unam [44]). Balteum argenteum inauratum unum, annulum bigemmem uncialem, brachialem unum unciarum septem [44b]): torquem liberalem unum, cassidem inauratam unam, scuta chrysographata duo, loricam unam, quam refundat: lanceas Herculeanas duas, aclydes duas, falces duas, falces foenarias quattuor [45]). Cocum quem refundat unum: mulionem quem refundat unam [46]): mulieres speciosas ex captivis duas: Albam subsericam unam cum purpura Girbitana [46b]): subarmale unum cum purpura Maura. Notarium

42) Intelligit nempe nummos aureos de Philippo imperatore, qui cudi eos jusserat, nominatos. (Nam ad Philippum Macedonem, Alexandri patrem, a quo primi nummi aurei hujus nominis cusi sunt, minime eos retulerim, quum non sit verisimile, ea aetate illos antiquos Philippeos adhuc in usu fuisse. —) Quorum nummorum genus retentum atque identidem signatum est, ita tamen, ut ejus imperatoris imago illis imprimeretur, quo imperante erant cusi. Itaque Valerianus etiam philippeos signari jusserat sua ipsius imagine ornatos, quos hoc loco intelligit.

43) Pro voce *cavĕos* sine omni dubitatione cum Salmasio et Casaubono vox *caucos* est restituenda, quum hoc vasculi nomen apud seriores scriptores saepius memoretur. Cf. Salmas. et Casaub. ad hunc locum. Repetitis illis ne offendamur, cavendum est. De vocabulo zuma cf. Salmas. ad hunc locum.

44) Fibulae complures, quae sub imperatoribus factae esse videntur, in thesauris antiquitatis adhuc conspiciuntur (Neapoli, Romae, Vindobonae, Berolini, aliarumque civitatium museis).

44b) Pro *brachialem* Casaubonus scribendum putat *brachiale* atque dextrogerium intelligit, armillarum nempe speciem, de qua idem ad Iul. Capitolin. vit. Maximin. duor. c. 6, p. 22. Scr. hist. Aug. II. copiose exposuit.

45) Aclydes Nonius jacula brevia interpretatur. Cf. Salmas. ad h. l.

46) Refundere nihil aliud significat, quam reddere, officii munerisque sui tempore peracto. Supra de Alex. Severo: „Redditur deposita administratione mulas, mulos, equos, muliones et cocos: cetera sibi habituri, si bene egissent“ etc.

46b) De Girbitana purpura vid. Salmas. ad h. l.

quem refundat unum: structorem quem refundat unum. Accubitalium Cypriorum paria duo. Interulas puras duas: fascias viriles duas: togam quam refundat unam: latum clavum quem refundat unum. Venatores qui obsequantur duos: carpentarium unum. Curam praetorii unum[47]): aquarium unum: piscatorem unum: dulciarium unum. Ligni quotidiani pondo mille, si est copia: sin minus, quantum fuerit et ubi fuerit: coctilium quotidiana batilla quattuor[48]). Balneatorem unum et ad balneas ligna: sin minus, lavetur in publico. Jam caetera, quae propter minutias suas scribi nequeunt, pro moderatione praestabis, sed ita ut nihil adaeretur[49]). — — — Haec autem omnia idcirco specialiter non quasi tribuno, sed quasi duci detuli, quia vir talis est, ut ei plura etiam deferenda sint" [50]).

---

47) Ita cura palatii pro curatore palatii. Officii ipsius designatio in eum transiit, cui officium erat impositum. Uberius de hoc titulo Casaubonus ad h. l. exposuit.

48) De coctilibus et batillis cf. Casaub. ad h. l. Salmasius scribendum putavit „*vatilla*". — Glossarii auctor vatillum voce πυράμη interpretatur. Ex iis quae Casaubonus attulit, apparet, batilla fuisse instrumenta quaedam ad carbones candentes recipiendos accommodata ita ut fruges, legumina aliaeve res super carbonibus illis torreri possent. Cf. Plin. XXXIII, 8. XXXIV, 11.

49) Nempe ut res ipsae exhiberentur, non pecunia sive pretium pro illis praeberetur. Cf. Casaub. et Salmas. ad h. l. Graeci reddunt voces ἀπαργυρίζεσθαι, ἐξαργυρίζεσθαι, ἀποχαλκίζειν.

50) Alia ejusdem epistola minor ad Ablavium Muraenam praefectum praetorii haec est (c. 15, p. 395—97); „Desine autem conqueri, quod adhuc Claudius est tribunus, nec exercitus ducem loco accipit: unde etiam senatum et populum conqueri jactabas. Dux factus est, et dux totius Illyrici. Habet in potestatem Thracias, Moesias, Dalmatos, Pannonias, Dacos exercitus: vir ille summus nostro quoque judicio speret consulatum, si ejus animo accommodum est, quando voluerit, accipiat praetorianam, accipiat praefecturam. Sane scias, tantum ei a nobis decretum salarii quantum habet Aegypti praefectura: tantum vestium quantum proconsulatui Africano detulimus: tantum argenti quantum accipit curator Illyrici Metatius: tantum ministeriorum quantum nos ipsi nobis per singulas quasque decernimus civitates: ut intelligant omnes, quae sit nostra de viro tali sententia." Alia Decii epistola de eodem Claudio apud eundem Treb. Pollionem l. c. c. 16, p. 397 allata haec est: „Decius

Altera epistola a Gallieno imperatore scripta est, quum ei per frumentatores nunciatum esset, Claudium irasci, quod ipse mollius viveret. Verba haec sunt: „Nihil me gravius accepit quam quod notoria tua intimasti, Claudium parentem amicumque nostrum insinuatis sibi falsis plerisque graviter irasci. Quaeso igitur, mi Venuste, si mihi fidem exhibes, ut eum facias a Grato et Herenniano placari, nescientibus hoc militibus Dacicianis, qui jam saeviunt, ne graviter ferant. Ipse ad eum dona misi, quae ut libenter accipiat, tu facias. Curandum praeterea est, ne me hoc scire intelligat ac sibi succensere judicet et pro necessitate ultimum consilium capiat. Misi autem ad eum pateras gemmatas trilibres duas[51]): scyphos aureos gemmatos trilibres duos: discum corymbiatum argenteum librarum viginti[52]). Lancem argenteam pampinatam librarum triginta. Patinam argenteam hederatam librarum XX et III. Boletar halieuticum argenteum librarum XX.[53]). Urceos duos

---

Messalae praesidi Achaiae salutem: — — — Tribunum vero Claudium, optimum juvenem, fortissimum militem, constantissimum civem, castris, senatui et reipublicae necessarium, in Thermopylas ire praecepimus: mandata eidem cura Peloponnesium, scientes neminem melius omnia quae injungimus, esse curaturum — — —. Neque enim illo quisquam devotior, fortior, gravior invenitur."

51) Hac aetate vascula, paterae, pocula, scyphi gemmis pretiosis ornari solebant, ut splendor pretiumque eorum augeretur. Hoc studium atque haec ornandi ars retenta et ad finem medii aevi usque factitata est, multaque adhuc pretiosa vascula, lances et paterae maxime gemmis ornatae, saeculo decimo quinto factae in museis conservantur. In utroque Vindobonensi thesauro (Antiquit. et numm. concl. gemm. destinat., et in thes. rer. pretios., concl. postrem.) multa hujus generis vasa pretiosa conspiciuntur, quae aliis in locis frustra quaesiveris.

52) De forma „corymbiatus" sequentibus „pampinatus et hederatus" non respondente cf. Salmas. ad h. l. Nota Theocriti (Id. I, 27 seqq.) descriptio poculi: *βαθὺ κισσύβιον — τῷ περὶ μὲν χείλη μαρύεται ὑψόθι κισσός, κισσὸς ἑλιχρύσῳ κεκονισμένος· ἁ δὲ κατ' αὐτὸν καρπῷ ἕλιξ εἱλεῖται ἀγαλλομένα κροκόεντι.* — Discum argenteum haud mediocris amplitudinis atque summa arte speciosaque caelatura factum nuper in Museo Berolinensi vidi paullo ante quidem acquisitum.

53) Genus vasculi ex Martialis carminibus notum, de quo doctissime Salmasius ad nostrum locum disputavit.

auro inclusos, argenteos librarum sex et in vasis minoribus argenti libras XXV. Calices Aegyptios operisque diversi decem[54]). Chlamydes veri luminis limbatas duas. Vestes diversas XVI. Albam subsericam, paragaudem triuncem unam. Zanchas de nostris Parthicas paria tria[55]). Singiliones Dalmatenses X. Chlamydem Dardanicam mantuelem unam. Paenulam Illyricianam unam[56]): Bardocucullum unum, Cucutia villosa duo: Oraria Saraptena quattuor[57]). Aureos Valerianos CL. Trientes Saloninianos CCC." [58]).

Ex his duabus epistolis multa discimus, quae mutatam imperandi rationem, mutatam provinciarum condicionem, mutatos mores atque consuetudines vitae publicae et domesticae, mutatam linguam et dictionem testantur. Ingenti ejus aetatis luxuriae illa dona pristino tempore inaudita prorsus conveniebant. Ex istis tamen salariis muneribusque pretiosissimis colligere possumus, illorum imperatorum aetate (Valeriani nempe, Gallieni et Claudii) provinciarum tributa, vectigalia, et quae sunt hoc genus alia, non exigua fuisse, siquidem imperatoribus tantae suppeterent divitiae taliaque dona facile exhiberi possent. Illud tamen, quod initio affirmavimus, nullis provincias administrantibus eas

---

54) Illi calices omnium maxime pretiosi et magna pecunia emi soliti. Flav. Vopisc. vit. Saturnin. c. 8, p. 728. T. II. Scr. hist. Aug.: „Calices tibi allassontes versicolores transmisi, quos mihi sacerdos templi obtulit, tibi et sorori meae specialiter dedicatos, quos tu velim festis diebus conviviis adhibeas etc."

55) De his vestibus conf. Salmas. ad h. l.

56) Quomodo lingua Latina jam paullatim immutari coeperit, ex his adjectivorum formis auctis (Illyricianus, Dacicianus) nec non ex vocibus barbaris usu receptis (qualia sunt vestium peregrinarum, vasculorum aliarumque rerum cognomenta) cognoscere possumus.

57) De his vestimentorum generibus seriore aetate demum ab exteris populis aut acceptis, aut denominatis nolumus hoc loco agere, quum id paucis fieri nequeat. Cf. Casaubonum et Salmasium ad h. l.

58) De nummis aureis serioris aetatis (qui semisses, tremisses, trientes etc. dicti) copiose Salmas. ad Ael. Lamprid vit. Alex. Severi c. 39, p. 959 seqq. exposuit. Trientes vetusti in nummorum thesauris adhuc reperiuntur.

ita impune diripere licuisse, ut Ciceronis tempore et in universum extremo reipublicae florentis saeculo, nihilominus verum certumque putaverim.

II.

Sacerdotes (flamines, sodales Augustales etc.) ***Romae*** *imperatoribus defunctis constituti.*

Neocoriae in provinciis institutae imaginem quandam ipsum imperii caput atque domicilium admisit, excoluit et diu constanter retinuit. Summo senatus studio atque adulatione, quae omnes invaserat, in ipsa urbe tum ad defunctum Augustum divinis honoribus ornandum, tum ad Tiberium imperio admotum deleniendum mulcendumque revera neocoriae genus quoddam institutum est atque usu receptum, eo tamen discrimine, ut non imperatori vivo, sed defuncto et post consecrationem solemnem in deos relato tales concederentur honores. Augusto defuncto, sepultura more solemniter peracta, templum et coelestes religiones sunt decreti, ut Tacitus retulit [1]). Deinde caerimoniis religionibusque rite obeundis sacerdotes sunt constituti. Qui honores divini tamen eo splendidiores erant, quod non unus *νεωκόρος* templive sacerdos, sed sodalium Augustalium sacerdotium sive collegium e viginti quinque sodalibus constitutum est atque novo templo addictum. Egregium hujus rei testimonium Tacitus nobis exhibuit: „Idem annus novas caerimonias accepit, addito sodalium Augustalium sacerdotio: ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris sodales Titios instituerat. Sorte ducti e primoribus civitatis unus et viginti:

---

1) Annal. I, 11. Defunctis apud Graecos etiam haud raro divini honores sunt habiti; Liv. XXXIX de Philopoemene: „et sepultus ab universo Achaico concilio; adeo omnibus humanis congestis honoribus, ut ne divinis quidem abstineretur.“

Tiberius Drususque et Claudius et Germanicus adjiciuntur" [2]). Sacerdotium illud Tiberius constanter tuendum putavit, ut omnes caerimonias solemnes ad Augusti gloriam memoriamque conservandam institutas. Quod sine dubio eadem cura sub Caligula, Claudio, Nerone factum, quippe a domo Augusti oriundis. De Claudio Suetonius tradit haec: „Senatus quoque, ut ad numerum sodalium Augustalium sorte ductorum extra ordinem adjiceretur, censuit" [3]). Quod sine dubio eodem referendum, quo Taciti verba supra allata. Num post Neronem, bellis intestinis turbulentisque excitatis, sacerdotium illud constanter sit servatum, mihi quidem nunc non liquere lubenter fateor. Verisimile, nec illos sodales Augustales, qui adhuc superstites, esse abrogatos, nec in defunctorum vices novos esse adoptatos sive subrogatos. Quod si totum sacerdotium neglectum omissumve fuisset, civilibus bellis compositis, facile restitui poterat. Flavii enim non ita ab Augusti honoribus abhorruerunt, quin olim ei decretos libenter redderent. Ab his enim non erat timendum. quod Tiberius jam metuerat, „sin extra domum successor quaereretur, ne memoria Augusti, ne nomen Caesarum in ludibria et contumelias verterent" [4]). De Tiberii defuncti consecratione honoribusque divinis nihil traditur, nec verisimile, tales ei a senatu atque Caligula esse concessos, quamquam cum plurimis lacrimis pro concione a juvene successore laudatus sit amplissimeque funeratus, ut Suetonius narrat [5]). Imperatoribus pessimae notae, Caligulae atque Neroni nulli hujus generis honores ha-

---

2) Annal. I, c. 54. Eodem loco Augustales etiam ludi commemorantur, et Romae et Neapoli in Augusti adhuc vivi honorem instituti et diu solemniter celebrati. De quibus ludis in Encyclop. real. antiquit. class. s. v. T. I, p. 1005 seq. uberius exposui. — Praeterea hic non est praetermittendum, imperatores defunctos et consecratos (initio certe) in deos indigetes esse relatos, quemadmodum Aeneam et Romulum. Cf. Virgil. Georg. I, 499. Aen. XII, 794. Liv. VIII, 9. Servius ad Virg. Aen. I, 281. II, 351. Huc etiam Augustus Lar referendus, cujus supra §. 3, p. 11 mentionem fecimus.

3) Vit. Claud. c. 6.

4) Tacit. Ann. VI, 46.

5) Calig. c. 15. Tacit. Ann. VI, 50. 51, ubi de Tiberii morte ex-

beri poterant[6]). Claudius tamen consecratus dicitur[7]). Vespasiano a Tito divini honores sunt habiti. Templum gentis Flaviae Domitianus erexit, cui sine dubio sacerdotes etiam additi[8]). De Tito Plinius: „Ingenti quidem animo Titus securitati nostrae ultionique prospexerat, ideoque numinibus aequatus est: sed quanto tu (Traiane) quantoque dignior coelo, qui tot res illi adjecisti, propter quas illum deum fecimus"[9])? Nervam Traianus consecravit: Traiano defuncto *Hadrianus* divinos honores a senatu postulavit, cunctis volentibus, ita ut senatus multa quae Hadrianus non postulaverat, in honorem Traiani sua sponte decerneret[10]). Idem Hadrianus paullo ante ipsius mortem Aelio Vero defuncto statuas per totum orbem colosseas poni atque templa in nonnullis urbibus fieri jusserat[11]). Hadriani divinis honoribus Antoninus Pius invito senatu prospexit. „Nec apellatus esset divus Hadrianus, nisi Antoninus rogasset. Templum denique ei pro sepulcro apud Puteolos constituit et quinquennale certamen et *flamines* et *sodales* et multa alia quae ad

---

posuit, nullos divinos honores memoravit, subsequentibus libris, qui Caligulae imperium complectebantur, deperditis. Plinius etiam Tiberium silentio praetermisit. Pan. c. 11.

6) Caligulae tamen imperium anspicato summi honores a senatu erant decreti. Suet. Cal. c. 16: „Quas ob res inter reliquos honores decretus est ei clypeus aureus, quem quotannis certo die collegia sacerdotum in capitolium ferrent, senatu prosequente, nobilibusque pueris ac puellis carmine modulato laudes virtutum ejus canentibus. Decretum autem, ut dies quo cepisset imperium, Palilia vocaretur, velut argumentum rursus conditae urbis."

7) Tacit. Annal. XIII, 14. Cf. Plin. Pan. c. 11. Senec. de mort. Claud. p. 251. Goth.

8) Suet. Domit. c. 1. Cf. Plin. Paneg. c. 11.

9) Panegyr. c. 35. Cf. c. 11.: „Dicavit coelo Tiberius Augustum, sed ut majestatis numen induceret: Claudium Nero, sed ut irrideret: Vespasianum Titus, Domitianus Titum: sed ille, ut dei filius, hic ut frater videretur: tu sideribus patrem intulisti, non ad metum civium, non in contumeliam numinum, non in honorem tuum, sed quia deum credis. Minus est hoc, quum fit ab his, qui et sese deos putant: sed licet illum aris, pulvinaribus, flamine colas, non alio magis tamen deum et facis et probas, quam quod ipse talis es."

10) Ael. Spartian. vit. Hadriani c. 6, p. 52. Scr. hist. Aug. T. I.

11) Idem vit. Ael. Veri c. 7, p. 241 seq. l. c.

honorem quasi numinis pertinerent" [12]). In vetustis etiam inscriptionibus flamen Hadrianalis, sodalis Hadrianalis reperiuntur [13]). Antonino Pio defuncto omnes divinos honores concessos testatur Iul. Capitolinus his verbis: „A senatu divus est appellatus cunctis certatim adnitentibus: quum omnes ejus pietatem, clementiam, ingenium, sanctimoniam laudarent. Decreti etiam sunt omnes honores, qui optimis principibus ante delati sunt. Meruit et *flaminem* et circenses et *templum* et sodales Antoninianos" [14]). Tertio imperii sui anno Antoninus Faustinam uxorem amiserat, cui et ipsi divini honores sunt habiti [15]). Eodem modo Marco Aurelio sodales constitutos legimus, qui Marciani sunt nuncupati [16]). Hinc in lapidibus inscriptis: „Sodali Marciano Aureliano Commodiano Helviano Severiano" [17]). Sicut Antoninus Pius Hadriano defuncto divinos censuerat honores habendos invito senatu, ita quod mirum dictu, Sept. Severus invito senatu, vel potius, ut ei maximum dolorem afferret, Commodum putavit honorandum, de qua re Aelius Lampridius haec tradit: „Hunc (Commodum) tamen Severus, imperator amantissimus nominis sui (nempe Commodi) odio (ut videtur) senatus, inter deos retulit, flamine addito, quem ipse vivus sibi paraverat, Herculaneo Commodiano." Quod quo-

12) Ael. Spartian. vit. Hadriani c. 27, p. 218 seq. Scr. hist. Aug. T. I.

13) Cf. Casaub. ad Ael. Spart. l. c. p. 219. Dionys. Hal. Ant. Rom. II, c. 64 de nominis „flamen" origine haec narrat: *τὴν δὲ δευτέραν τοῖς καλουμένοις ὑφ' Ἑλλήνων Στεφανηφόροις, ὑπὸ δὲ Ῥωμαίων Φλάμισιν, οὓς ἐπὶ τῆς φορήσεως τῶν πιλωτῶν τε καὶ στεμμάτων, ἅ καὶ νῦν ἔτι φοροῦσι φλᾶμα καλοῦντες, οὕτω προσαγορεύουσι.* Vetustissima illa *στέμματα*, antiquissimorum fecialium velaminibus similia fuerint, quae Liv. I, 32 breviter sic designat: „filo lanae velamen est." De flaminibus ab Anco Marcio institutis cf. Liv. I, c. 33.

14) Vit. Antonini Pii c. 13, p. 285. Scr. hist. Aug. T. I.

15) Capitolin. vit. Ant. Pii c. 6, p. 260.: „Quae a senatu consecrata est delatis circensibus atque templo et flaminicis et statuis aureis atque argenteis: quum etiam ipse hoc concesserit, ut imago ejus cunctis circensibus poneretur."

16) Iul. Capitolin. vit. Pertinacis imperat. c. 15, p. 569. Scr. hist. Aug. T. I.

17) Cf. Casaub. ad Iul. Capitolin. l. c.

modo Sept. Severus patrare atque talem ignominiam apud aequales perinde ac posteros subire sana mente potuerit, vix intelligitur, quum Commodo occiso, qui sibi ipse vivus neocoriam quandam instituerat, senatusconsultum exsecrationibus ejus diris sane refertum esset factum, cujus initium propter indolem atque formam antiquiori tempori prorsus inusitatam in medium proferamus: „Hosti patriae honores detrahantur, parricida trahatur (sc. unco). Hostis patriae, parricida, gladiator in spoliario lanietur. Hostis deorum, carnifex senatus, hostis deorum, parricida senatus, hostis deorum, hostis senatus, gladiatorem in spoliario. Qui senatum occidit, in spoliario ponatur. Qui senatum occidit, unco trahatur. Qui innocentes occidit, unco trahatur: hostis, parricida, vere severe. Qui sanguini suo non pepercit, unco trahatur" etc. [18]). Tota haec formula plane solemnibus diris atque exsecrationibus est simillima, quae animis gravissimo metu jam solutis ac liberis iraque recenti vehementer concitatis, vocibus abruptis pronunciari solent. Hinc toties repetita vocabula ejusdem significationis.

Posteaquam Pertinax, senex severus atque veteris disciplinae restitutor, odio militum atque aulicorum, quorum vitam luxuriosam compescere coeperat, erat occisus, brevi tempore post Iuliano a militibus deserto, per senatum et populum in deos est relatus et mox a Severo ejus filius flamen ei constitutus [19]).

---

18) Ael. Lamprid. vit. Commod. Ant. c. 18, p. 524 seq. Scr. hist. Aug. T. I.

19) Cf. Iul. Capitolin. vit. Pertinac. c. 15, p. 568 seq. Scr. hist. Aug. T. I., qui haec addit: „Sub Severo autem imperatore quum senatus ingens testimonium habuisset Pertinax, funus imaginarium ei et censorium ductum est et ab ipso Severo funebri laudatione ornatus est. Ipse autem Severus amore boni principis a senatu Pertinacis nomen accepit. Filius Pertinacis patris flamen est factus. Marciani sodales, qui divi Marci sacra curabant, Helviani sunt dicti propter Helvium Pertinacem" etc. Quae postrema verba non ita sunt intelligenda, ut putemus Marcianos illos sodales tunc Marci Aurelii sacra omisisse et Pertinacis caerimonias curasse: sed potius ita, ut nihil aliud esse factum existimemus, nisi novum illis cognomen in Pertinacis occisi honorem esse additum. Illum tamen Pertinacis imperatoris filium Helvium Pertinacem,

Dio Cass. quidem et Ael. Spartianus[20]) Sept. Severi defuncti consecrationem silentio praetermiserunt: Herodianus tamen eam copiose ac luculenter descripsit, quam ob rem totam descriptionem in calce hujus libelli typis exprimendam curavimus[20b]). Caracallo occiso a Macrino militibusque divini honores sunt decreti, ut Macrinus nempe suspicionem necis ei allatae evitaret[21]). Jam ad eam aetatem pervenimus, qua plurimae civitates imperatorum neocorae erant factae eorumque solemnia dudum celebraverant. Sine dubio consecratio omnesque divini honores Romae defunctis imperatoribus concessi provinciarum civitatiumque studium ac contentionem in neocoria impetranda mirum quantum auxerunt. — Praeterea nobis tenendum, divinos imperatorum honores nonnunquam simpliciter memoratos ubique fere consecrationem, templum, sacerdotes, quocumque illi nomine fuerint appellati, sive flamines, sive sodales, complecti. Ita Aureliano optimo imperatori fraude occiso Tacitus senator et mox omnium sententia imperator appellatus divinos honores decrevit[22]). Eodem modo divo Claudio (Gothico) aliisque imperatoribus subsequentibus divini honores sunt decreti[23]). Haec de imperatorum defunctorum sacerdotibus atque reliquis divinis hono-

---

suffectum consulem, postea Caracallus occidendum curavit nullam aliam ob caussam, quam quod imperatoris esset filius. Cf. Ael. Spartian. vit. Antonini Caracalli c. 4, p. 714. T. I, Scr. hist. Aug.

20) Dio Cass. LXXVI, c. 15—17. Ael. Spartian. vit. Severi c. 23. 24. p. 638 seqq. Scr. hist. Aug. T. I.

20b) Cf. Herodian. IV, c. 2. Vide descriptionem in calce hujus libelli allatam.

21) Ael. Spartian. vit. Antonini Caracalli c. 11, p. 732.: „A Macrino qui eum occiderat, timore militum ac maxime praetorianorum inter deos relatus est. Habet templum, habet salios, habet sodales Antoninianos" etc.

22) Verba haec sunt: „Decerno igitur divinos honores: id quod vos omnes existimo esse facturos. Et paullo ante; ac rebus magnis gestis inter divos relatus est." Flav. Vopisc. vit. Aureliani c. 37, p. 515., et c. 41, p. 526. Scr. hist. Aug. T. II.

23) Cf. Trebell. Pollio vit. Claud. c. 18, p. 412. Scr. hist. Aug. T. II. Omnia enim illi honores in se continebant, quae superioribus imperatoribus erant concessa.

ribus Romae a senatu istis constitutis in medium proferenda putavi, ne quis provincias vehementius adulationis existimet accusandas, quum ipsa imperii sedes augustissimumque olim patrum concilium ab ejusmodi blandimentis exquisitis minime abhorreret, nec aequalium judicium, nec ignominiam apud posteros magnopere timeret[24]).

III.

De statuarum honore apud Graecos et Romanos.

§. 1.

Quum statua homini sive vivo sive defuncto posita honoris divini antiquitus diis immortalibus tantum constituti, deinde ad homines honorandos paullatim translati primum quasi gradum contineat, operae pretium nobis erit, quidquid praemii, juris, honoris, venerationis in statua posita hominibus sit attributum, id paullo accuratius excutere originemque statuae ponendae paullo altius repetere. — In antiquissimis Graecorum documentis, in Homeri Hesiodique carminibus, nulla statuarum ho-

24) His tamen liceat breviter addere, a sodalibus Augustalibus illos sacerdotes, qui simpliciter *Augustales* appellentur et in lapidibus inscriptis frequenter reperiantur memorati, accurate esse distinguendos. Augustales ab Augusto laribus penatibusque in compitis aliisque diis, ut Herculi victori, rite colendis erant constituti. Ad quae munia sacraque obeunda ab Augusto liberti sunt electi, quorum numerus dignitasque subsequente tempore in municipiis coloniisque accrevit, ita ut collegia quaedam efficerentur (hinc Seviri Augustales, sex viri nempe, primarii totius collegii). Cf. Orellii Inscr. sel. Latin. n. 3959. — Antiquitus quidem Romani sacrificia et rem divinam laribus per servos facere solebant, diis domesticis per famulos domesticos, in compitis nempe, unde Compitalia. Cf. Dionys. Halic. Rom. Ant. IV, 19. Ovid. Fast. V, 140 seqq. — Inscriptiones, in quibus Augustales obvii, exhibent Murator. Inscr. 85, 6, 1030, 4., et Gruter. Inscr. n. 106, 4. 1097, 7. Cf. praeterea Porphyr. et Acro ad Horat. sat. II, 3, 281.

minibus dedicatarum exempla memorantur. Quum jam eam ipsam ob caussam verisimile sit, ad illorum poetarum aetatem usque nullam homini positam fuisse, tum id majorem nanciscetur probabilitatem, si reputemus, illo tempore artem statuariam vetustissima quidem deorum *βαιτύλια* ista et *βρέτη* coelo delapsa (ut putabant), lapides nempe deformes (qui *ἀργοὶ λίθοι* dicti) palosve rudes dudum antiquasse atque gratiora numinum simulacra, *ξόανα* nempe illa lignea ad humanam figuram conformata procreare coepisse, quae ad Daedalum deinde ejusque discipulos a Graecis referri solebant: omnia tamen hoc genus artificia adhuc ex ligno esse caelata. Nulla certe ne deorum quidem signa ex aere fuso marmoreve sculpto facta apud Homerum memorantur [1]). Accedit quod ne olympionicis quidem ante Ol. 38 ulla posita est statua, immo quod seriore demum aetate, post olympiadem quinquagesimam nonam, ille honor victoribus tribui coeptus est atque paullo ante septuagesimam cuique eorum concessus [2]). Itaque statuae homini ponendae

1) **Exceptis tamen poetae commentis imaginibusque amoenissimis de aureis adolescentulis in Alcinoi domo splendidissima, atque de canibus argenteis, Od. VII, 91 seqq. 100 seqq. quae poeta summo ingenio atque eximia imaginandi vi praeditus facile fingere potuit, quum tot alia ornamenta aurea argenteave descripserit, quae revera non exstiterunt. Quidquid tamen Homeri aetate ex auro argentove factum, sine dubio *σφυρήλατον* potius quam fusum erat. Nolo tamen illam veterem litem de artis operibus Homeri aetate jam notis et usitatis (ut creditum est) hic retractare.**

2) **Pausanias VI, 15, 5. de antiquissima quam novimus victoris Olympici statua, Eutelidae Spartano nempe posita, haec tradit:** *Σπαρτιάτῃ δὲ Εὐτελίδῃ γεγόνασιν ἐν παισὶ νῖκαι δύο ἐπὶ τῆς ὀγδόης καὶ τριακοστῆς ὀλυμπιάδος πάλης, ἡ δὲ ἑτέρα πεντάθλου. Πρῶτον γὰρ δὴ τότε οἱ παῖδες καὶ ὕστερον πενταθλήσοντες ἐςεκλήθησαν. Ἔστι δὲ ἥ τε εἰκὼν ἀρχαία τοῦ Εὐτελίδα, καὶ τὰ ἐπὶ τῷ βάθρῳ γράμματα ἀμυδρὰ ὑπὸ τοῦ χρόνου.* **Quodsi haec statua eodem anno, quo victoriae illae reportatae, erat posita, nobis illa pro antiquissima omnium victoribus Olympicis collocatarum erit habenda. Verumtamen Pausanias ipse alio loco, VI, 18, 5, illis prorsus contraria scripsit:** *Πρῶτοι δὲ ἀθλητῶν ἀνέθεσαν ἐς Ὀλυμπίαν εἰκόνας, Πραξιδάμαντός τε Αἰγινήτου νικήσαντος πυγμὴν τὴν ἐννάτην ὀλυμπιάδα ἐπὶ ταῖς πεντήκοντα· καὶ Ὀπουντίου Ῥηξιβίου παγκρατιαστὰς καταγωνισαμένου, μιᾷ πρὸς ταῖς ἑξήκοντα ὀλυμπιάδι. Κεῖνται μὲν αἱ εἰκόνες οὐ πρόσω τῆς*

mos, paucissimis exemplis exceptis, non prius usu receptus ac propagatus est, quam aeris fundendi arte reperta ac divulgata, cui deinde marmoris sculpendi ars est addita. Quemadmodum antiquissimae Olympionicarum statuae duo, Praxidamantis Aeginetae atque Rhexibii Opuntii (Ol. 59 et 61) adhuc ex ligno erant factae, altera ficulnea quidem, altera cupressea, ita illo tempore pleraque deorum *ἀγάλματα* adhuc erant lignea, *ξόανα* nempe, quorum formae antiquae ut diligenter retinerentur atque, si forte pristinis igne consumptis sive ablatis nova essent paranda, ut religiose ad illorum normam exigerentur, rite cautum erat atque sancitum[3]). Ita Romae anno u. c. 545

Οἰνομάου κίονος, ξύλου δέ εἰσιν εἰργασμέναι, Ῥηξιβίου μὲν συκῆς, ἡ δὲ του Αἰγινήτου κυπαρίσσου καὶ ἧσσον τῆς ἑτέρας πεπονηκυῖά ἐστιν. Pausanias itaque aut memoria lapsus statuae Eutelidae victori positae prorsus oblitus erat, quum illa scriberet: aut illam non anno victoriae duplicis, sed serius statutam putavit: aut non satis certum existimavit quo anno illa esset collocata et hanc ob caussam illud in dubio potius reliquendum censuit. Nobis tamen verisimilius, Eutelidae statuam multo serius esse positam, utpote aeneam, quod e Pausaniae verbis colligi licet. Nec omnino verisimile, a Spartanis statuae victori ponendae initium esse factum. Praeterea hoc saepius accidit, ut victoribus antiquissimis seriore demum aetate statuae dedicarentur. Cf. Paus. VI, 3, 4. VII, 17, 3. 6., et Krause Olymp. p. 337. 338. Atque illud etiam addendum, quamquam cuique victori permissum esset, sibi statuam ponere (id quod plerumque cognati, amici, parentes aut civitas, ex qua ortus aut cujus civem sese pronunciaverat, curabant), tamen non unicuique positam esse. Alioquin earum multitudo sane immensa esset facta. Paus. VI, 1, 1.: *Τῶν δὲ νικησάντων Ὀλυμπιάσιν οὐχ ἁπάντων εἰσὶν ἑστηκότες ἀνδριάντες, ἀλλὰ καὶ ἀποδειξάμενοι λαμπρὰ ἐς τὸν ἀγῶνα, οἱ δὲ καὶ ἐπὶ ἄλλοις ἔργοις, ὅμως οὐ τετυχήκασιν εἰκόνων.* Praeterea Pausaniae aetate non omnes statuae olim victoribus positae adhuc erant conservatae suisve in locis relictae.

3) Huc etiam *τὰ ἀφιδρύματα* referenda, in coloniis novisque oppidis templisve condendis fieri solita. Complures nobis *ἀφιδρύσεις* memorantur solemnes. Egregium exemplum Strabo nobis narrat (IV, 1, 179. Cas. de Phocaeensibus Massiliam condituris eorumque sacerdote Aristarcha): *ἔν τε ταῖς ἀποίκοις πόλεσι πανταχοῦ τιμᾶν ἐν τοῖς πρώτοις ταύτην τὴν θεὸν καὶ τοῦ ξοάνου τὴν διάθεσιν τὴν αὐτὴν καὶ τ᾽ ἄλλα νόμιμα φυλάττειν τε αὐτὰ ἅπερ ἐν τῇ μητροπόλει ἐνενόμιστο.* Aristarcham vero Ephesiam matronam Diana somnio monuisse fertur, ut *ἀφίδρυμά τι τῶν ἱερῶν λαβοῦσα* Phocaeenses comitaretur, quo facto eam sacerdotem esse constitutam

adhuc duo signa cupressea Iunonis reginae facta atque pompa solemni in aedem illata Livius tradit[4]).

Posteaquam aeris miscendi fundendique ars erat inventa, non statim ubique usu recepta est, sed paullatim magis excoli, perfici et usquequaque propagari coepit[5]). Quoad illius artis opera rudem adhuc formam exhibebant omni elegantia atque venustate destituta, deorum magis quam hominum simulacra fundi solebant. Paullatim demum hominum signa formari coepta. Samii artifices, Rhoecus, Theodorus, Telecles primi aeris fundendi arte excelluisse perhibentur, sive illi invenerint, sive aliunde eam acceperint[6]). A Samo haec ars profecta in vicinas insulas civitatesque translata mox tum meliore aeris mixtura reperta, tum artificum ingenio maxime exculta ad summum pervenit fastigium. In insulis Delo et Aegina haec ars diligenter factitata mox ita floruit, ut antiquissima aeris gloria Deliaco esset, proxima laus Aeginetico tribueretur[8]). Deinde Sicyon, Athenae, Argos, Corinthus hac arte gloriam sunt adeptae haud mediocrem. Aes Corinthium etiam magnam celebritatem adeptum est eamque ad seriorem aetatem usque retinuit, in signis vasculisque maxime spectatum et a Romanis magni aestimatum summoque pretio emtum[8]). Posteaquam aeris

Strabo tradit. Alia hujus generis praebent Strab. VIII, 7, 385. (Cas.) Dionys. Hal. Ant. Rom. II, 22. VIII, 56. Cf. Paus. III, 16. VIII, 42.

4) Libr. XXVII, c. 37.

5) Pausanias exiguas artis illius vetustissimae et adhuc rudis reliquias vidit. Libr. X, 38, 3.: *Θεοδώρου μὲν δὴ οὐδὲν ἔτι οἶδα ἐξευρών, ὅσα γε χαλκοῦ πεποιημένα· ἐν δὲ Ἀρτέμιδος τῆς Ἐφεσίας πρὸς τὸ οἴκημα ἐρχομένῳ τὸ ἔχον τὰς γραφὰς, λίθου θριγγός ἐστιν ὑπὲρ τοῦ βωμοῦ τῆς Πρωτοθρονίης καλουμένης Ἀρτέμιδος· ἀγάλματα δὲ ἄλλα τε ἐπὶ τοῦ θριγγοῦ καὶ γυναικὸς εἰκὼν πρὸς τῷ πέρατι ἕστηκε, τέχνη τοῦ Ῥοίκου, Νύκτα δὲ οἱ Ἐφέσιοι καλοῦσι· τοῦτο οὖν τὸ ἄγαλμα τῆς ἐν τῇ Ἀμφίσσῃ Ἀθηνᾶς καὶ ἰδεῖν ἐστιν ἀρχαιότερον καὶ ἀργότερον τὴν τέχνην.*

6) De artificibus illis, eorum aetate, arte, nominibus, stirpe Thierschius Art. Epoch. apud Graec. p. 180 seqq. et p. 219 seq. ed. II et copiose et acute exposuit, ita ut hic nova dilucidatione prorsus supersedere possimus.

7) Cf. Plin. hist. nat. XXXIV, 4. 5.

8) Sine dubio aes Corinthium jam ante Corinthum deletam inclaru-

miscendi fundendique ars in plurimas migraverat civitates, jam a diis ad hominum statuas fingendas audacter est transgressa. Initio is honor nemini concessus nisi viris insigni aliqua laude excellentibus [9]). Olympionicis reliquisque hieronicis statuae ex aere factae plerumque ponebantur [10]). Cui prima aenea sit dicata, non traditur. Id tamen non ita diu post Ol. 61 factum esse, admodum est verisimile. Statuas ex marmore factas victoribus perraro esse positas non est quod dubitemus. Hinc artifices, a quibus athletae maxime sunt exhibiti, aeris fundendi arte magis quam marmoris sculpendi excelluerunt. Hinc Praxiteles, qui marmoris candorem maxime amavit, nullos athletas, sed deorum dearumque simulacra elaboravit: Myron contra, quem aenea signa maxime nobilitarunt, multo ante plurimas athletarum statuas protulerat. Illud vero, quod Plinius tradit, eorum athletarum statuas, qui in ludis Olympicis ter victores exstitissent, ex membris ipsorum similitudine expressa, iconicas esse factas, quando usu receptum sit, plane ignoramus [11]).

---

erat: deleta novam illi gloriam addidit, confusis mixtisque, ut traditur, diversis metallis. Plin. XXXII, 3.: „ex illa autem antiqua gloria Corinthium maxime laudatur: hoc casus miscuit, Corintho cum caperetur incensa.“ C. 18.: „Signis, quae vocant Corinthia, plerique in tantum capiuntur, ut secum circumferant, sicut Hortensius orator Sphingem Verri reo ablatam.“ Cic. in Verr. II, 4, 44.: „Tu videlicet solus vasis Corinthiis delectaris? Tu solus illius aeris temperationem, tu operum lineamenta solertissime perspicis?“ C. 59.: „Vim maximam vasorum Corinthiorum ex omnibus aedibus sacris abstulit.“ Hic nonnisi aenea intelliguntur, quamquam Corinthiorum fictilia (ὀστράκινα) haud minus quam χαλκώματα in summo fuerint honore. Cf. Strab. VIII, 6, 381. Cas. et Cic. Tusc. II, 13.

9) Plin. h. n. XXXIV, 9.: „Effigies hominum non solebant exprimi, nisi aliqua illustri caussa perpetuitatem merentium, primo sacrorum certamium victoria, maximeque Olympiae, ubi omnium qui vicissent, statuas dicari mos erat.“

10) Caussa triplex cogitari potest: primum quod aeris fundendi ars prius inventa quam marmoris sculpendi, deinde quod aeri vetustas minus nocere potest quam marmori, quum illa signa in locis apertis poni solerent, tum quod aes fusum illo tempore eximium praebuit colorem, quem, posteaquam ejus efficiendi ars in oblivionem venerat, seriores artifices restituere non poterant.

11) Plin. h. n. XXXIV, 9. De tempore, quo id fieri coeperit, nihil

Athenis tamen Harmodio et Aristogitoni jam ante Xerxis magnam expeditionem statuas esse erectas constat. Nam eas ipsas statuas, quod maxime mirum, Persarum rex secum deportavit [12]). Paullatim statuarum honor frequentior fieri multisque insignibus viris concedi coeptus. Athenis Pericli, Lysandro in plurimis civitatibus nec non Alcibiadi statuae sunt positae [13]). Poetis insignibus, philosophis, oratoribus aliisque viris de civitate meritis permultis non Athenis solum, sed ubique fere Graeciae statuarum honor est concessus [13b]). Plinius honoris usu recepti progressum ita adumbravit: „Excepta deinde res est a toto orbe terrarum humanissima ambitione. Et jam omnium municipiorum foris statuae ornamentum esse coepere prorogarique memoria hominum et honores legendi aevo basibus inscribi, ne in sepulcris tantum legerentur. Mox forum et in domibus privatis factum atque in atriis. Honos clientum instituit sic colere patronos.“ — Bello Peloponnesiaco finito statuarum honor apud Graecos jam perquam vulgaris factus. Philippo, Alexandro, ejus ducibus, postea regibus ubique sunt positae [13c]). Athenis nulli plures sunt dicatae quam Demetrio Phalereo, quarum numerus dierum numero, quos tum annus habuit, est aequatus [14]). Paullo post illis eversis ac laceratis in Demetrium Poliorcetem omnes honores sunt cumulati [15]). Verumtamen Graecia missa facta Romam respiciamus videamusque, quando quibusve primae statuae ibi sint dedicatae.

---

addidit. Pausanias hujus rei nullam omnino mentionem fecit, quantum memini, nec statuarum ullum hujus generis discrimen constituisse videtur. Signa tamen infra hominis adulti mensuram facta nonnunquam memorat, puerorum scilicet victorum.

12) Plin XXXIV, 9.: „Athenienses nescio an primi omnium Harmodio et Aristogitoni tyrannicidis publice posuerint statuas. Hoc actum est eodem anno, quo et reges Romae pulsi.“

13) Cf. Paus. VI, 3, 6. Plut. Lys. c. 18.

13b) Cf. Pausan. I, 21, 1. In libris V. VI juxta statuas olympionicarum multas alias virorum insignium memoravit.

13c) Milites fortissimos in primo proelio cum Persarum rege commisso caesos statuis equestribus Alexander honorasse fertur. Iustin. XI, 6.

14) Plin. XXXIV, 12.

15) Plin. l. c.

§. 2.

Artem statuariam Italiae familiarem ac vetustam Plinius dicit idque ex signis nonnullis antiquissimis colligit, Herculi nempe ab Euandro, Jano gemino a Numa rege consecratis[16]. Verumtamen quum multa alia ex antiquissima Romanorum historia, tum artium origines apud eos caligine involutae quaestionem exhibent sane lubricam atque difficilem. Livius quidem atque Plinius multas memorant antiquissimas statuas, quarum magnam partem Plinius adhuc sese vidisse testatur[17]. Primorum regum signa in Capitolio conspexit: vidit Sibyllae tres, vidit Atti Navii auguris statuam, has omnes quidem, ut refert, Tarquinii Prisci aetate positas. Atti Navii statuam Livius etiam memoravit[18]. Deinde idem scriptor statuarum Horatio Cocliti et Cloeliae dedicatarum mentionem fecit, quarum altera, Cloeliae erecta, equestris fuisse fertur[19]. Utraque a Plinio etiam commemoratur his verbis: „Alia caussa, alia auctoritas M. Horatii Coclitis statuae, quae durat hodieque, cum hostes a ponte sublicio solus arcuisset“ et de altera: „Cloeliae etiam statua est equestris, ceu parum esset toga eam cingi: cum Lucretiae ac Bruto, qui expulerant reges, propter quos Cloelia inter obsides fuerat, non decernerentur“[20]. Neuter scriptor operae pretium putavit, in aetatem inquirere atque ad liquidum perducere, num

---

16) Libr. XXXIV, c. 16. Addit: „Signa quoque Tuscanica per terras dispersa, quae in Etruria factitata non est dubium. Deorum tantum putarem ea fuisse, ni Metrodorus Scepsius, cui cognomen a Romani nominis odio inditum est, propter duo millia statuarum Volsinios expugnatos objiceret. Mirumque mihi videtur, cum statuarum origo tam vetus in Italia sit, lignea potius aut fictilia deorum simulacra in delubris dicata, usque ad devictam Asiam, unde luxuria.“

17) Libr. XXXIV, c. 10 seqq.

18) Libr. I, 36. „Statua Atti posita capite velato, quo in loco res acta, in comitio, in gradibus ipsis ad laevam curiae fuit: cotem quoque eodem loco sitam fuisse memorant, ut esset ad posteros miraculi ejus monumentum.“ Plin. XXXIV, 11.: „Namque et Atti Navii statua fuit ante Curiam, cujus basis conflagravit curia incensa Publii Clodii funere.“

19) Liv. II, 10. 13.

20) Libr. XXXIV, 11. 13.

revera ista signa eodem, quo illi vixissent tempore, fuerint constituta, an a grata posteritate uno pluribusve saeculis post sint illis consecrata: immo statim pro certo uterque habuit, eodem tempore esse posita, quo illi honorem meruissent. Eadem incuria nobis tradere neglexerunt, e qua materia illa signa vetustissima fuerint confecta, nec minus, quinam et quales artifices illa sint fabricati, et num in iis fuerint nonnulli excellentes et posteritatis memoria digni. Quarum omnium rerum quum plane nullam fecerunt mentionem, maxima nobis dubitatio ut oboriatur necesse est. Hanc dubitationem alius Plinii locus auget: „Romae simulacrum *ex aere factum* Cereri primum reperio ex peculio Sp. Cassii, quem regnum affectantem pater ipsius interemerat“[21]). Itaque illa vetustiora signa *non ex aere erant facta.* E quanam igitur materia illo tempore esse potuerunt? E marmore omnium minime, quum ne Graeci quidem illa aetate in marmore sculpendo magnopere excellere coepissent. Quid restat igitur, nisi terra fictilis et lignum? Quodsi concedi possit, primorum regum, Sibyllae, Atti Navii et Horatii Coclitis statuas fuisse fictiles, idem tamen de Cloeliae equestri statua nemo facile affirmare audeat, nisi parvula fuisse eam statuerit figura[22]). Quidquid tamen de vetutissimis illis artis operibus censeatur, mihi persuasum est, pleraque eorum seriore aetate orta illisque grata posterorum recordatione esse consecrata: eaque neque fictilia nec lignea, sed ex aere fuisse facta. Antiquissima tamen deorum simulacra sine dubio erant fictilia, quorum artifices erant Etrusci[23]). His deinde lignea addita, ficulnea et cupressea,

---

21) Plin. h. n. XXXIV, 9.

22) Exempla figurae brevissimae longeque infra hominis mensuram factae Plinius ipse praebet libro XXXIV, c. 11.: „Inter antiquissimas sunt et Tulli Cloelii, Lucii Roscii, Spurii Nautii, C. Fulcinii in Rostris, a Fidenatibus in legatione interfectorum. Hoc a republica tribui solebat injuria caesis, sicut et P. Iunio et Tito Coruncano, qui ab Teuca, Illyriorum regina, interfecti erant. Non omittendum videtur, quod Annales adnotavere, *tripedaneas his statuas* in foro statutas. *Haec videlicet mensura honorata tunc erat.*“

23) Cf. Plin. h. n. XXXIV, 16.

qualia adhuc a. u. c. 545 Romae sunt Iunoni reginae dedicata[24]). Aeneum signum ex peculio Sp. Cassii factum atque Cereri consecratum, ut Plinius refert, Livius etiam memoravit[25]). Quod si verum, Romae primum simulacrum ex aere factum atque dedicatum est anno urbis conditae 268. Nihilo minus postea deorum fictilia signa sicut simulacra lignea magno in honore erant veteribusque nova addebantur[26]).

Quidquid tamen de vetustissimis illis signis priscorum regum aetate positis apud Livium et Plinium narratur, nimis lubrica fide nititur. Veri similiora illa haberi possunt, quae Livius de statuis equestribus, Camillo et Maenio consulibus Romae in foro positis tradidit: „additus triumpho honos, ut statuae equestres eis, rara illa aetate res, in foro ponerentur“[27]). De statua Accii poetae Plinius haec narrat: „Notatum ab auctoribus et L. Accium poetam in Camenarum aede maxima forma statuam sibi posuisse, quum brevis admodum fuisset“[28]). Hoc

24) Liv. XXVII, 37.

25) Libr. II, 41.

26) Ligneas hominum effigies aut prorsus nullas, aut perpaucas exstitisse existimo. Si revera tales exstiterunt, eas coloribus illitas putaverim, sicut fictiles deorum statuae minio oblinebantur. Praeterea apud Romanos jam antiquissimo tempore aliud genus imaginum fingendarum floruit, nempe ars e cera fingendi, quae propter imagines majorum cera expressas maxime factitata est et exculta. Mirum, quod inde reliquae artes apud Romanos, nempe ars marmoris sculpendi, aeris fundendi, pingendi, non majora incrementa fructusque sibi acquisiverint. Ceterum ars e cera fingendi apud Graecos etiam aliasque gentes est factitata. Cf. Anacr. X, 1 (Ἔρωτα κήρινόν τις νεηνίης ἐπώλει) Cic. in Verr. Act. II, libr. IV, c. 13.

27) Libr. VII, 13. Quod quum a. u. 417, a. Chr. 335 sit factum, non est, cur de veritate dubitemus. Nam illa aetate aeris fundendi marmorisque sculpendi ars non solum per omnem Graeciam, sed per totam Asiam et per Italiam etiam erat propagata. Itaque artifices, si Romae non erant idonei, facillime aliunde acciri poterant. Aliam equestrem statuam eamque togatam Q. Marcii Tremuli, qui Samnites bis devicerat captaque Anagnia populum stipendio liberaverat, Plinius XXXIV, c. 11. memoravit. Equestrium statuarum originem apud Romanos perquam veterem dicit idem libro XXXIV, 13.

28) Libr. XXXIV, 10.

mirabile, tum quod poetae licuit sibi ipsi statuam ponere, tum quod talem qualem ipse vellet[28b]).

Subsequente tempore statuarum honor frequentior factus multaque earum genera usu recepta. Tum Romae, tum apud alias gentes Italicas statuae armatae (loricatae, hastam tenentes) summo in honore esse dudum coeperant. Livius statuam Manicii, praetoris Praenestini, in foro hujus oppidi constitutam loricatam, toga amictam, velato capite memorat[29]). Ita serius Iul. Caesar dictator statuam sibi loricatam in foro suo dicari passus est[30]). Statuae nudae, hastam tamen tenentes, a Graecis erant translatae atque Achilleae dicebantur[31]). Nam statua prorsus nuda antiquiore tempore non Romanorum, sed Graecorum ingenio placuit. Hinc Plinius: „Graeca res est nihil velare: at contra Romana ac militaris thoracas addere“[32]). Armatae statuae ad seriorem aetatem usque apud Romanos suum obtinuerunt honorem, quod tum ex artis statuariae reliquiis, quae in multarum civitatium thesauris conservantur, tum e nummorum imaginibus intelligi licet. Praeterea statuae etiam togatae antiquitus jam in usum venerant[33]). Togatis illae adjungi possunt, quas Plinius paenula indutas designat et nuper demum usu receptas dicit[34]). Maximum tamen honorem statuae equestres complectebantur, quarum exempla a Graecis derivata

---

28b) Plin. XXXIV, 10. „Mancinus eodem habitu sibi statuit, quo deditus est.“ Itaque republica florente libera, senatus de statuarum jure usurpando ac forma eligenda non magnopere sollicitus fuisse videtur. Huc etiam columnarum honor referendus, quae jam antiquiore reipublicae tempore usu erant receptae. Cf. Plin. XXXIV, c. 11.

29) Libr. XXIII, 19.

30) Plin. XXXIV, 10.

31) Plin. l. c.

32) Plin. l. c.

33) Plin. l. c.

34) Plin. l. c. „Nam Lupercorum habitu factae tam novitiae sunt, quam quae nuper prodiere paenulis indutae.“ Quales fuerint lupercorum habitu factae, Plinius non addidit. Luperci erant sacerdotes, fortasse brevi pallio insignes, ita ut illae statuae paenulatae atque hae palliatae aliquam haberent similitudinem.

Plinius putavit[35]. Catonis tempore statuarum honor in provinciis etiam ita jam frequens erat factus, ut non solum civibus Romanis, sed eorum uxoribus etiam statuae ponerentur, de quo more Cato ipse questus est, ut supra vidimus. — Ex auro argentove illo tempore nondum statuae parabantur: auratae tamen permultae republica adhuc florente tum Romae, tum in provinciis dedicatae sunt. Nam inaurandi ars Romae jam mature usu recepta est atque exculta[36]. Primam statuam inauratam (et Romae et tota Italia) Manius Acilius Glabrio duumvir patri Glabrioni posuit[37]. Subsequente tempore permultae statuae auratae memorantur. Cicero in Syracusarum curia C. Verris statuam conspexit inauratam, quam tamen Syracusani negabant ex pecunia publica et publice datam: sed eos faciendam statuendamque curasse, qui illius socii fuissent in committendis furtis, flagitiis, sceleribus[38]. Perquam verisimile illo tempore, quo aeris miscendi ars pristina dudum labi deteriorque fieri coeperat signaque aenea jam illo antiquo celebratoque colore destituta erant, eo magis inaurandi artem adhibitam magno cura excultam esse atque perfectam. Signa inaurata certe ad extrema usque imperii occidentalis tempora quam maxime placuerunt, quod ex multis documentis scriptorum historiae Augustae luculenter apparet. Maximinis duobus, patre et filio, interfectis, Maximo senatorum principi, mox imperatori, sta-

35) Libr. XXXIV, 10. „Equestres vero statuae Romanam celebrationem habent, orto sine dubio a Graecis exemplo. Sed illi celetas tantum dicabant in sacris victores.“ C. 12. equestrium tamen statuarum originem apud Romanos perquam veterem dicit exemplaque supra allata memorat.

36) Liv. XXX, 27. „His fornicibus signa aurata imposita.“ XXXV, 41. Quadrigae inauratae in Capitolio positae. XXXVII, 3.: „fornix in capitolio cum septem signis auratis.“ Hujus generis multa ex Livio colligi possunt. Cellae deorum dearumque in templis inauratae saepius memorantur. Summum in hoc genere Domitianus praestitit, qui in templo Jovis Capitolini inaurando duodecim millia talentorum impendisse fertur. Cf. Plut. Poplicol. c. 15.

37) Liv. XXXX, 34. Quod factum a. u. 571.

38) Cic. in Verr. Act. II, libr. 4, c. 62.

tuae auratae equestres decernebantur [39]). Haec de statuis auratis.

Quot statuae postremo reipublicae florentis saeculo Pompeio et Caesari aliisque civibus potentissimis ubique sint dedicatae, ex reliquis honoribus illo tempore jam usitatis colligere possumus. Multo plures Augusto reipublicae habenis potito et per tot annos feliciter regnanti esse consecratas, multis veterum testimoniis docemur [40]). Eo imperante statuae argenteae etiam parabantur [41]). Praeterea inde ab Augusti imperio statuae jus aliqua ratione certum ac definitum fuisse videtur, nec deinde absque imperatorum voluntate ac venia concessa impetrari aut usurpari potuit [42]). Ut in universum in principum aulis honores dignitatesque paullatim accrescunt atque multiplicantur, ita jam inde a Caesaris dictatura Augustique imperio statuarum honori simplici varia ornamenta sunt addita illaeque in varia genera sunt distributae. Nam inde jam statuae triumphales, statuae laureatae, a senatu quidem, auctore tamen imperatore, concedebantur [43]).

39) Iul. Capitol. vit. Maximi et Balbini c. 13, p. 155. Ex illo seriore tempore complures statuae inauratae diversi generis memorantur: Trebell. Pollio vit. trig. tyrann. c. 32, p. 742 seq. Scr. hist. Aug. T. II.: „Hujus uxor Calphurnia fuit sancta et venerabilis foemina de genere Censorinorum, id est Pisonum, quam majores nostri univiriam sacerdotem inter sacratissimas foeminas adorarunt: cujus statuam in templo Veneris adhuc videmus Argolicam, sed auratam.“ Pro Argolica cum Salmasio e cod. Pal. (qui Acrolica habet) acrolitham restituendum est. In vetustis inscriptionibus statuae auratae saepissime memorantur dicunturque statuae sub auro, auro illustres, auro superfusae. Cf. Salmas. ad Treb. Poll. l. c. p. 343 seqq.

40) De statuis a senatu ei Romae positis cf. Dio Cass. XXXXVIIII, 13 et 15. Cf. c. 18 de illis statuis, quas ipse Octavianus Antonio, adhuc non prorsus inimico, ponendas curaverit.

41) Sueton. Aug. c. 52. V. supra p. 16.

42) Cf. Plin. epist. I, 17, 1. II, 7, 1. Quamquam initio imperii sui Augustus nondum quidquam certum de hac re decrevisse videtur, quum Cornel. Gallus sibi ipse tota Aegypto statuas ponere ausus esset resque a se gestas pyramidibus inscribere. Dio Cass. LIII, 23.

43) Plin. epist. II, 7, 1.: „Heri a senatu Vestricio Spurinnae, principe auctore, triumphalis statua decreta est. Cf. Tacit. Hist. I, 79. Idem

Statuae triumphales ad duces bello victores honorandos celebrandosque maxime pertinuerunt. Eorundem laudes laureatae complectebantur[44]), quamquam aliis etiam viris insignibus nonnunquam dedicatae. — Praeterea oratorum statuae diu maximo erant in honore[45]), quod minime mirum, quum eloquentia Romae mature forum occupasset ibique diu floreret. — Quum togatae, tum armatae statuae jam antiquitus, prout meritum et caussa ponendi, in locis honoratissimis frequentissimisque collocabantur: apud Graecos in gymnasiis, foris, templis, portubus: apud Romanos in foro, in Capitolio, ante templa et delubra, aliisque in locis celeberrimis. Ita Cn. Octavio, qui ad Antiochum Syriae regem missus, circulo ducto, responsum dare eum coegerat, antequam ex illo pedem proferret, in eadem legatione interfecto senatus statuam poni jussit quam oculatissimo in loco, in rostris[46]). — Jam inde ab Augusti aetate argenteas etiam statuas esse positas, supra memoravimus. Mox aureae additae sunt, quae tamen sine dubio plenam hominis mensuram

laureatas statuas Annal. IV, 23 commemorat. De Agricola Britanniam sub Domitiano obtinente Tacit. Agric. c. 40.: „Igitur triumphalia ornamenta et inlustris statuae honorem et quidquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulata, decerni in senatu jubet."

44) Tacit. Annal. IV, 23.: „Nam priores duces, ubi impetrando triumphalium insigni sufficere res suas crediderant, hostem omittebant: jamque tres laureatae in urbe statuae, et adhuc raptabat Africam Tacfarinas etc." Itaque laureatae statuae ad insignia triumphalia pertinuisse videntur. Quod si verum, statuae triumphales eaedem erant quae laureatae, sive statuae triumphales erant laureatae.

45) Cf. Auct. dialogi de clar. orat. c. 8. Hinc in nostris antiquarum artium thesauris museisque nonnullae statuae superstites oratoris habitu insignes. Immo ipsa Iul. Caesaris statua in museo Berolinensi conservata talem ostendit habitum. Togatus conspicitur quasi dicturus sive in senatu aliquid relaturus. Praeterea illustribus etiam grammaticis statuae honor est concessus. Suet. de ill. Grammat. c. 9 de Orbilio: „Statua ejus Beneventi ostenditur in capitolio, ad sinistrum latus, marmorea, habitu sedentis ac palliati, adpositis duobus scriniis."

46) Plin. XXXIV, 11. Addit hoc loco haec: „Invenitur statua decreta et Taraciae Caiae sive Suffetiae virgini Vestali, ut poneretur ubi vellet: quod adjectum non minus honoris habet, quam foeminae esse decretam."

non reddebant, sed ad minorem potius modulum erant factae. Nero quidem statuas argento vel auro solidas, quae a senatu sibi offerebantur, prohibuit[47]). Seriore tamen aetate statuae argenteae atque aureae denuo usu receptae sunt. Nam Antoninus Pius Faustinae uxori tertio imperii sui anno defunctae statuas aureas argenteasque curavit ponendas, atque ipse „statuam auream delatam a senatu positam suscepit“ ut Capitolini verbis utar[48]). Trebellius Pollio divo Claudio statuam auream decem pedum in Capitolio ante Jovis optimi maximi templum populi sumptu positam memorat[49]). — Hadriano imperante statuarum honores quam maxime augeri et multiplicari coeperant atque ille imperator ipse Aelio Vero per totum orbem colosseas poni jussit, templa etiam in nonnullis urbibus fieri[50]). Divo Claudio (Gothico nominato) totius orbis judicio in rostris posita erat columna cum *palmata* statua superfixa librarum argenti mille quingentarum, ut Trebellius Pollio retulit[51]). In universum illo tempore statuas principum in columnis poni saepius placuit, ut ita alte erectae melius latiusque conspicerentur utque majorem obtinerent majestatem. Ita divo Aureliano in columnis statuae sunt collocatae[52]). Seriore illa aetate principibus etiam statuae cum elephantis decernebantur[53]).

---

47) Tacit. Ann. XIII, 10. Ibidem traditur Nero C. Domitio patri a senatu statuam sive effigiem petivisse.

48) Iul. Capitolin. vit. Antonini Pii. c. 6, p. 260. Scr. hist. Aug. T. I.

49) Vit. Claudii c. 3, p. 356. Scr. hist. Aug. T. II. De serioris aetatis imperatore Claudio nempe hoc loco agitur.

50) Ael. Spartian. vit. Ael. Veri c. 7, p. 241 Scr. hist. Aug. T. I.

51) Vit. Claud. c. 3, p. 356. Scr. hist. Aug. T. II. Addit p. 358 de eodem imperatore ab omnibus amato: „Ille bellum Gothicum brevi tempore implevit. Adulator igitur senatus, adulator populus Romanus, adulatrices exterae gentes, adulatrices provinciae: siquidem omnes ordines, omnis aetas, omnis civitas, statuis vexillis, coronis, fanis, arcubus bonum principem, aris ac templis honoraverunt.“ De eodem p. 350.: „Qui si diutius in hac esset commoratus republica, Scipiones nobis et Camillos omnesque illos veteres suis virtutibus, suis consiliis, sua providentia reddidisset.“

52) Flav. Vopisc. vit. Aurelian. c. 37, p. 515. Scr. hist. Aug. T. II.

53) Iul. Capitolin. vit. Maximin. duor. c. 25, p. 59: „Victoriae

Jam quaerendum nobis, quales illae principum statuae fuerint, quae in templis neocoriae celebrandae caussa excitatis imperatoribusque consecratis dedicari sint solitae, e qua materia sint factae, quo habitu, quibus vestimentis aut armis indutae, stantes an sedentes? Quae omnia plane nescimus, nec licet nobis quidquam nisi ex nummis aut conjectura assequi. In nummis civitatium neocorarum aliquoties templum atque imperatorem togatum in eo stantem conspicimus, qui habitus sine dubio plerumque conservatus est, eorum imperatorum imaginibus exceptis, qui deorum insignibus sese ornandos putarunt, ut Commodus, Caracallus[54]). Praeterea verisimile, omnes imperatorum statuas in templis consecratas hominis mensuram multo excessisse, ut eo magis ad deorum heroumve similitudinem accederent. — His alia quaestio adjungi poterit, num officium quoddam imperatorum effigies in templis illis consecratas adorandi civibus neocoris fuerit injunctum, sive sua sponte ab illis adoratio sit usu recepta. Nulla hujus rei certa nobis sunt argumenta relicta, nec in nummorum imaginibus ulla comparent adorationis vestigia. Erat tamen aliquod adorationis genus necessariae nempe vel potius imperatae, cujus documenta nobis certa sunt tradita. Ad imperatorum effigies deorum simulacris additas adorandas nempe Christiani propter novum cultum in judicium adducti nonnunquam invitabantur vel cogebantur, ut ex hac ipsa adoratione intelligerent judices, num illi novam doctrinam Christique cultum jam omisissent sive omittere et ad pristinos deos colendos redire vellent nec ne. Testis Plinius junior, cujus epistola de Christianis ad Traianum scripta insigne perinde ac triste nobis exhibet documentum illius adorationis, ad quam

---

caussa principibus nostris Maximo, Balbino et Gordiano statuas cum elephantis decernimus, currus triumphales decernimus, statuas equestres decernimus etc." Praeterea multae aliorum imperatorum statuae a scriptoribus historiae Augustae memorantur, quas omnes hoc loco enumerare non operae pretium videtur. Cf. Trebell. Poll. de Salonino Gallieno c. 1, p. 243. T. II.

54) De his deorum ornamentis vid. quae supra §. 4, p. 11 exposita sunt.

subeundam nonnulli tormentorum mortisque crudelissimae timore compellebantur. „Propositus est libellus sine auctore, multorum nomina continens, qui negarent se esse Christianos aut fuisse, quum praeeunte me, deos appellarent et imagini tuae (Traiani nempe), quam propter hoc jusseram cum simulacris numinum adferri, thure ac vino supplicarent, praeterea maledicerent Christo, quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt revera Christiani. Ergo dimittendos putavi. Alii ab indice nominati esse se Christianos dixerunt et mox negaverunt: fuisse quidem sed desisse, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti quoque (quinque). Omnes et imaginem tuam deorumque simulacra venerati sunt" [55]). E quibus conjicere possumus, adorationem illam non prorsus fuisse inusitatam, licet nulli cives ad eam subeundam cogerentur. Quod eo verisimilius videbitur, si reputare velimus, ipsos reges potentissimos haud raro imperatorum Romanorum imagines statuasve adorasse. De Artabano, Parthorum rege, qui Tiberio contempto Caligulae imperium auspicati amicitiam exoptavit, Suetonius haec tradit: „Venitque ad colloquium legati consularis: et transgressus Euphratem aquilas et signa Romana Caesarumque imagines adoravit" [56]). Immo Tiridates, Vologesis, Parthorum regis frater, qui ut Armeniae rex a Nerone constitueretur, Romam erat profectus, Neronem ipsum in omnium conspectu adoravit [57]). Ita seriore aetate novi imperatores a militibus in provinciis electi haud raro ab iis ipsis sunt adorati [58]).

55) Epist. X, 67. Qualis imago illa fuerit, nihil refert. Statua, effigies, imago picta sive sculpta, immo imaguncula icunculave quaeque vilissima sufficiebat ad adorationem subeundam. Tacitus saepius imperatorum imagines memorat, sine discrimine, uum sculpta, caelata, an picta esset. Ann. XIV, 12.: „aureum Minervae simulacrum in curia, et juxta principis imago statueretur." E voce „statueretur" colligi licet, statuam sive effigiem fusam aut sculptam esse intelligendam."

56) Vit. Caligul. c. 14.

57) Dio Cass. LXIII, 4.: *καὶ μετὰ τοῦτο ὅ τε Τηριδάτης καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ διά τε στοίχων ὁπλιτῶν ἑκατέρωθεν παρατεταγμένων διῆλθον· καὶ πρὸς τῷ βήματι προςστάντες προςεκύνησαν αὐτὸν, ὥςπερ καὶ πρότερον.*

58) Flav. Vopisc. vit. Saturnini c. 9, p. 731. Scr. hist. Aug. T. II.

Quid igitur mirum, eorum statuas etiam nonnunquam esse solemniter adoratas?[59]) — Haec de statuarum honore apud Graecos et Romanos.

IV.

De arae honore imperatoribus eorumque uxoribus concesso.

Divini honores imperatoribus concessi paullatimque amplificati *aram* quoque complectebantur. Nam proximus gradus a statua ad templum denique consecrandum sine dubio in ara cernitur, cui sacerdotes, sacrificia, caerimoniae solemnes sunt plerumque additae. Statuae concessae honoribus dudum vulgatis, ara jam magnam divini honoris partem continebat nec facile vulgari poterat. Quicunque ara dignus erat judicatus, idem sacrificiis quibusdam dignus erat censendus, qualiacunque illa fuerint, sive libamenta sive suffimenta sive pecudes caesae[1]). Qui honor non multis contingere potuit, quin rerum divinarum sanctitas et reverentia imminueretur. — Sine dubio prisci Romani sub regibus primisque reipublicae constitutae temporibus ab ara homini mortali erigenda prorsus abhorruerunt, nec ullam isti aram conspexerunt nisi diis heroibusque consecratam. Ara maxima ab Euandro Herculi dicata memoratur a Livio, ad quam Potitiae gentis sacerdotium fuerat familiare[2]). Apparet hinc, arae eodem jure quo templo sacerdotem addi solitum. Apud Graecos antiquissimo tempore heroibus, mox civitatium quoque conditoribus aras esse excitatas constat. Subsequente tamen aetate nulli mortali apud eos aram putaverim ante erectam,

---

Lugd. Bot. 1671.: „statim clamaverunt, Saturnine Auguste, dii te servent: — — — — cyclade uxoria militibus circumstantibus amictus et adoratus est."

59) Ex iis etiam, quae Tacitus Hist. IV, 81 de Vespasiano narrat, conjicere possumus, talem adorationem saepius locum habuisse.

1) Cf. Virgil. Ecl. I, 44.

2) Liv. VIII, 29.

quam ingeniis adulandi arte infectis moribusque pristinis paullatim lapsis ac depravatis. Plutarchus quidem narrat, Lysandro, Athenis devictis, duci potentissimo, Graecorum omnium primo in compluribus civitatibus aras esse exstructas quasi deo atque sacrificia oblata[3]). Quo initio facto pluribus dehinc regibus ducibusque arae honores impertiti, maxime inde ab Alexandri aetate, postquam, illo defuncto, ejus duces, regiis, opibus quaesitis, regium nomen ac majestatem sibi vindicaverant. Verumtamen Graecis relictis ad Romanos transgrediamur. Arae honorem ante Augusti imperium civibus Romanis perraro esse tributum crediderim. In provinciis tamen ducibus praesidibusve omni virtute et laude spectatis nonnunquam aram esse excitatam verisimile, multis provincialibus jam Caesaris aetate ad ejusmodi adulationem propensis[4]). Verumtamen his omnibus praetermissis aras Augusto consecratas respiciamus. Quemadmodum in Asia imperatori templa, ita in Gallia atque Germania arae sunt decretae[4b]). Primum ara Ubiorum bis a Tacito nobis

---

3) **Vit. Lysandri c. 18.:** *Πρώτῳ μὲν γάρ, ὡς ἱστορεῖ Δοῦρις, Ἑλλήνων ἐκείνῳ βωμοὺς αἱ πόλεις ἀνέστησαν, ὡς θεῷ, καὶ θυσίας ἔθυσαν· εἰς δὲ πρῶτον παιᾶνες ᾔσθησαν, ὧν ἑνὸς ἀρχὴν ἀπομνημονεύουσι τοιάνδε.*

Τὸν Ἑλλάδος ἀγαθέας στραταγὸν εὐρυχώρου Σπάρτας
ὑμνήσομεν, ὦ ἰὴ παιάν.

4) Propter magna merita, rebus feliciter gestis, nonnunquam hominibus dudum defunctis posteriorum grata memoria aram consecravit. Idem honor nonnunquam auctori clarissimae prosapiae concessus, cujus exemplum Suetonius (Aug. c. 1) exhibet: „Gentem Octaviam Velitris praecipuam olim fuisse multa declarant. Nam et vicus celeberrima parte oppidi pridem Octavius vocabatur et ostendebatur ara Octavio consecrata: qui bello dux finitimo cum forte Marti rem divinam faceret, nunciata repente hostis incursione, semicruda exta rapta foco prosecuit atque ita proelium ingressus victor rediit.“ Haec ara igitur singularem habuit caussam et originem. Verisimile tamen Augusto demum imperante eam esse Octavio illi dedicatam, ut imperatoris majoribus splendor quidam adderetur.

4b) In Britannia templum etiam divi Claudii memoratur a Seneca in ludo ad mortem Claudii deridendam Caesaris scripto p. 251. ed. Gothofred. „Parum est quod templum in Britannia habet, quod nunc Barbari colunt, et ut deum orant.“ — De Augusto deo facto supra praetermisi locum Senecae de clem. I, 10, quem hic addere quam prorsus praeterire placet: „Deum

memoratur[5]). Hanc aram Augusto fuisse consecratam non est cur dubitemus. Primo loco Tacitus nihil aliud narrat, quam legatos a senatu missos regressum jam Germanicum apud aram Ubiorum adiisse, quo loco duae legiones quoque hiemaverint. Jam ex eo loco haud difficulter colligi potest, hanc aram Augusto fuisse dicatam eamque ipsam ob caussam hunc locum a legionibus esse electum, sive vice versa illum locum legionum hibernis fuisse peridoneum atque hanc ob caussam ibi aram esse erectam. Qualis illa fuerit ara, ex secundo loco accuratius intelligitur, cujus verba integra proferre operae pretium: „Addiderat Segestes legatis filium, nomine Segimundum: sed juvenis conscientia cunctabatur, quippe anno, quo Germaniae descivere, sacerdos apud aram Ubiorum creatus, ruperat vittas, profugus ad rebelles. Adductus tamen in spem clementiae Romanae, pertulit patris mandata: benigneque exceptus cum praesidio Gallicam in ripam missus est.“ Hic juvenis, Segestis filius, viri principis, Arminio soceri simul ac inimici gravissimi, sacerdos illi arae constitutus documento nobis esse poterit, aram illam Augusto fuisse consecratam. Verisimillimum enim, id ipsum sacerdotium juvenem libertatis recuperandae spe erectum sibi pudori habuisse, simul ac Germanos ab imperio Romano desciscere audivisset. Itaque pudore commotus omisit sacerdotium vittisque ruptis profugit ad rebelles, ut apud eos tutus esset a Romanis, quos ipse odisset et quos sacerdotio imperatoris abjecto graviter offendisset. Alia ratio obtinuisset, si numini alicui ab indigenis culto ille sacerdos fuisset constitutus. Tum eum numinis religio certe cohibere debuit quo minus abiret, nec erat cur vittas rumperet: quod significanter tamen est factum, si statuimus, eum Augusti caerimoniis curandis sacerdotem fuisse addictum.

Altera celeberrima ara erat Lugdunensis illa, cujus jam supra mentionem fecimus[6]). Ara illa a Gallis Augusto con-

esse, non tanquam jussi credimus bonum principem Augustum, et bene illi convenisse parentis nomen fatemur etc.“

5) Annal. I, 39. 57.

6) P. 14, not. 42.

secrata ante Lugdunum oppidum erat exstructa et delubri sacrariive instar magnam famam erat adepta, utpote a multis Galliarum gentibus dedicata, quarum nomina ipsi arae erant inscripta. Strabo his eam descripsit verbis: „*Τό τε ἱερὸν τὸ ἀναδειχθὲν ὑπὸ πάντων κοινῇ τῶν Γαλατῶν Καίσαρι τῷ Σεβαστῷ πρὸ ταύτης ἵδρυται τῆς πόλεως, ἐπὶ τῇ συμβολῇ τῶν ποταμῶν· ἔστι δὲ βωμὸς ἀξιόλογος, ἐπιγραφὴν ἔχων τῶν ἐθνῶν ξ΄ τὸν ἀριθμόν, καὶ εἰκόνες τούτων ἑκάστου μία, καὶ ἄλλος μέγας*“ 7). Itaque haec ara quasi *τέμενος* erat sanctissimum atque sine dubio sacerdotium ibidem erat constitutum, sive uno sive compluribus sacerdotibus sacra caerimoniasque curantibus.

His aris erectis illi populi non majorem admiserunt adulationem, quam Romae senatus ipse, quippe qui Tiberio, postquam ingenio suo jam uti atque Seiano adjutore multos cives innoxios interimere coeperat, nihilominus aram Clementiae, aram Amicitiae effigiesque circum Caesaris ac Seiani ponendas censuit 8): aram clementiae, Tiberii nempe, prorsus pestiferae: aram amicitiae, scilicet Tiberii ac Seiani, in perniciem civium insignium conflatae. Quae blandimenta terror imperavit, adulatio suasit.

Ex utroque exemplo ceteroquin intelligimus, aris ad sanctimoniam reverentiamque augendam nonnunquam statuas populorum aut effigies principum esse circumdatas. Aras in Treviris, vico Ambiatino, supra Confluentes, ob Agrippinae puerperium excitatas Suetonius memorat, Plinium Secundum auctorem secutus 9). Romae aram adoptionis in Liviae et Tiberii honorem a senatu decretam imperator ipse prohibuit 9b).

---

7) Strab. IV, 3, 192. Casaub.

8) Tacit. Annal. IV, 74.

9) Suet. Calig. c. 8.: „Aras ibi ostendi inscriptas OB AGRIPPINAE PUERPERIUM.“ Plin. Panegyr. c. 55.: „Arcus enim et statuas, aras etiam templaque demolitur et obscurat oblivio, negligit carpitque posteritas.“ Aras Flaviis erectas intelligere videtur.

9b) Tacit. Ann. I, 14. Noluit Liviae nimios honores tribui, „anxius invidia et muliebre fastigium in deminutionem sui accipiens.“

Aliae arae imperatoribus subsequentibus in aliis regionibus apud Gallos Germanosque fuerint consecratae. Hadrianus Athenis eodem tempore, quo aedem Jovis Olympii, aram sibi ipse dedicavit [10]. Sufficiant haec de arae honore imperatoribus tributo, nec operae pretium plura congerere exempla.

Quamquam ara et delubrum haud magno intervallo distant, erat tamen aliquod monumenti genus, quod nonnunquam (apud Graecos quidem magis quam apud Romanos) inter utrumque honorem interpositum est. Apud Graecos jam antiquissimo tempore civibus principibusve defunctis, quorum virtutes insignes, quorum merita fuerant maxima, haud raro heroa (*ἡρῷα*) sunt excitata, quae monimenta a templis, fanis delubris ita sunt distinguenda, ut haec antiquitus nonnisi diis immortalibus, illa mortalibus dedicarentur nec ejusdem essent amplitudinis, splendoris, majestatis. Praeterea *ἡρῷα* antiquitus erant monimenta sepulcralia. — Conditoribus urbium, coloniarum ducibus, heroibus priscis, ut Herculi, Iasoni, Theseo, Castori et Polluci aliisque multis monimenta hujus nominis a Graecis exstructa esse constat. Romae Iul. Caesari occiso heroum esse erectum, jam supra ex Dione Cassio memoravimus [11].

In calce hujus libelli descriptionem consecrationis solemnis ab Herodiano nobis exhibitam addi placet integram, utpote argumento exposito maxime affinem et accommodatam:

---

10) Ael. Spartian. vit. Hadrian. c. 13, p. 125 seq. Scr. hist. Aug. T. I. Memorabilis locus: „atque opera quae apud Athenienses coeperat, dedicavit: ut Jovis Olympii aedem *et aram sibi*: eodemque modo per Asiam iter faciens *templa sui nominis* consecravit.“

11) V. §. 22. Non praetermittendum hoc loco, apud Romanos aliquod monimentorum genus in summo honore fuisse, quo Graeci caruerant, arcus nempe triumphales (*ἁψῖδες τροπαιοφόροι*), propria Romanorum ornamenta, ad laudes bellicas victoriasque celebrandas maxime accommodata. Haec monimenta saepissime exstructa facile efficere poterant, ut alia a Graecis maxime erecta minus adhiberentur aut plane contemnerentur. Cf. Plin. Paneg. c. 55. 59. Dio Cass. LIV, 8. LVI, 17. Arcus triumphalis imagines permultae ac diversae in nummis sub imperatoribus cusis egregie delineatae sunt et impressae. Adhuc in Italiae regionibus arcus triumphales nonnulli cernuntur vetusti, non integri quidem, attamen maxima structurae parte conservata.

„Ἔθος γάρ ἐστι Ῥωμαίοις ἐκθειάζειν βασιλέων τοὺς ἐπὶ διαδόχοις παισὶ τελευτήσαντας· τήν τε ταιαύτην τελετὴν ἀποθέωσιν καλοῦσι· μεμιγμένον δέ τι πένθος ἑορτῇ καὶ θρησκείᾳ κατὰ πᾶσαν τὴν πόλιν δείκνυται. τὸ μὲν γὰρ σῶμα τοῦ τελευτήσαντος πολυτελεῖ κηδείᾳ καταθάπτουσιν ἀνθρώπων νόμῳ· κηροῦ δὲ πλασάμενοι εἰκόνα πάντα ὁμοίαν τῷ τετελευτηκότι ἐπὶ μεγίστης ἐλεφαντίνης κλίνης εἰς ὕψος ἀρθείσης προτιθέασιν ἐν τῇ τῶν βασιλείων εἰσόδῳ, χρυσοϋφεῖς στρωμνὰς ὑποστρωννύντες· ἡ δ' εἰκὼν ἐκείνη ἐν σχήματι νοσοῦντος πρόκειται ὠχριῶσα· τῆς δὲ κλίνης ἑκατέρωθεν καθέζονται ἐπὶ πλεῖστον τῆς ἡμέρας, ἐν μὲν τῷ λαιῷ μέρει πᾶσα ἡ Σύγκλητος, μελαίναις ἐφεστρίσι χρώμενοι· ἐν δὲ τῷ δεξιῷ γυναῖκες πᾶσαι, ὅσαις ἀνδρῶν ἢ πατέρων ἀξίωμα τιμῆς ἐνδόξου μεταδίδωσιν· οὔτε δὲ χρυσοφοροῦσά τις αὐτῶν ὁρᾶται, οὔτε περιδεραίοις κοσμουμένη, ἀλλὰ λιτὰς ἐσθῆτας λευκὰς ἀμφιεννύμεναι σχῆμα παρέχουσι λυπουμένων.

Ἑπτὰ μὲν οὖν ἡμερῶν τὰ εἰρημένα ἐπιτελεῖται· ἰατροί τε εἰσίοντες ἑκάστοτε προσίασι τῇ κλίνῃ καὶ δῆθεν ἐπισκεψάμενοι τὸν νοσοῦντα χαλεπώτερον ἔχειν ἀπαγγέλλουσιν ἑκάστοτε· ἐπὰν δὲ δόξῃ τετελευτηκέναι, τὴν μὲν κλίνην ἀράμενοι τοῦ τε ἱππικοῦ τάγματος εὐγενέστατοι καὶ τῆς Συγκλήτου ἐπίλεκτοι νεανίαι, κατακομίζουσι διὰ τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ εἴς τε τὴν ἀρχαίαν ἀγορὰν προτιθέασιν, ἔνθα οἱ Ῥωμαίων ἄρχοντες ἀπόμνυνται; ἑκατέρωθεν δὲ βάθρα τινὰ σύγκειται ἐν κλίμακος σχήματι· καὶ ἐπὶ μὲν θατέρου μέρους τῶν εὐγενεστάτων καὶ εὐπατριδῶν χορὸς ἕστηκε παίδων· ἐν δὲ τῷ ἀντικειμένῳ γυναικῶν τῶν ἐν ἀξιώσει εἶναι δοκουσῶν· ᾄδουσι δὲ ἑκάτεροι ὕμνους τε καὶ παιᾶνας εἰς τὸν τετελευτηκότα, σεμνῷ μέλει καὶ θρηνώδει ἐρρυθμισμένους. —

Μετὰ δὲ τοῦτο βαστάσαντες τὴν κλίνην φέρουσιν ἔξω τῆς πόλεως εἰς τὸ καλούμενον Ἄρεως πεδίον· ἔνθα κατεσκεύασται ἐν τῷ πλατυτάτῳ τοῦ πεδίου τόπῳ τετράγωνόν τι καὶ ἰσόπλευρον, ἄλλης μὲν ὕλης οὐδεμιᾶς μετέχον, ἐκ μόνης δὲ συμπήξεως ξύλων μεγίστων εἰς σχῆμα οἰκήματος. πᾶν δὲ ἐκεῖνο ἔνδοθεν μὲν φρυγάνων πεπλήρωται, ἔξωθεν δὲ χρυσοϋφέσι στρωμναῖς, ἐλεφαντίνοις τε ἀγάλμασι, γραφαῖς τε ποι-

κίλαις κεκόσμηται· ἐπ' ἐκείνῳ δὲ ἕτερον σχήματι μὲν καὶ κόσμῳ παραπλήσιον, μικρότερον δὲ ἐπίκειται, πυλίδας ἔχον καὶ θύρας ἀνεῳγυίας· τρίτον τε καὶ τέταρτον, ἀεὶ τοῦ ὑποκειμένου μεῖον, ἐς τελευταῖον βραχύτατον περαιοῦται· ἀπεικάσαι τις ἂν τὸ σχῆμα τοῦ κατασκευάσματος φρυκτωρίοις, ἃ τοῖς λιμέσι ἐπικείμενα. νύκτωρ διὰ τοῦ πυρὸς ἐς ἀσφαλεῖς διαγωγὰς τὰς ναῦς χειραγωγεῖ· φάρους δὲ αὐτὰ οἱ πολλοὶ καλοῦσιν· ἐς δὴ τὸ οἴκημα τὸ δεύτερον ἀνακομίσαντες τὴν κλίνην τιθέασιν· ἀρώματά τε καὶ θυμιάματα πάντα, ὅσα γῆ φέρει, εἴ τέ τινες καρποὶ ἢ πόαι χυμοί τε, συμβαλλόμενοι πρὸς εὐωδίαν, ἀνακομίζονται καὶ σωρηδὸν χέονται· οὔτε γὰρ ἔθνος, οὔτε πόλις τις, οὔτε τῶν ἐν ἀξιώσει ἢ τιμῇ ἐστὶν, ὃς μὴ δῶρα ταῦτα ὕστατα πέμπει φιλοτίμως ἐς τιμὴν τοῦ βασιλέως· ἐπὰν δὲ μέγιστον χῶμα ἀρθῇ τῶν ἀρωμάτων, πᾶς τε ὁ τόπος πληρωθῇ, ἱππασιά περὶ τὸ κατασκεύασμα ἐκεῖνο γίγνεται· πᾶν τε τὸ ἱππικὸν τάγμα περιθεῖ κύκλῳ μετά τινος εὐταξίας καὶ ἀνακυκλώσεως, πυῤῥιχίῳ δρόμῳ καὶ ῥυθμῷ· ἅρματά τε περιέρχεται ὁμοίᾳ εὐταξίᾳ, φέροντα τοὺς ἐφεστῶτας, ἠμφιεσμένους μὲν τὰς περιπορφύρους ἐσθῆτας, προσωπεῖα δὲ περικειμένους, εἰκόνας ἔχοντα, ὅσοι Ῥωμαίων ἐνδόξως ἐστρατήγησαν ἢ ἐβασίλευσαν.

Τούτων δὲ συντελεσθέντων, λαβὼν λαμπάδα ὁ τὴν βασιλείαν διαδεξάμενος, προσφέρει τῷ οἰκήματι· οἵ τε λοιποὶ πανταχόθεν πῦρ περιτιθέασι· πάντα δὲ ῥᾷστα ἀνάπτεται εὐμαρῶς ὑπὸ τοῦ πυρὸς, φρυγάνων τε πλήθους καὶ θυμιαμάτων ἐπινηθέντος: ἐκ δὲ τοῦ τελευταίου καὶ βραχυτάτου κατασκευάσματος, ὥςπερ ἀπό τινος ἐπάλξεως, ἀετὸς ἀφίεται, σὺν τῷ πυρὶ ἀνελευσόμενος εἰς τὸν αἰθέρα, ὃς φέρειν ἀπὸ γῆς ἐς οὐρανὸν τὴν τοῦ βασιλέως ψυχὴν πιστεύεται ὑπὸ Ῥωμαίων· καὶ ἐξ ἐκείνου μετὰ τῶν λοιπῶν θεῶν θρησκεύεται.

Ταύτην δὲ τὴν τιμὴν ἐκθειάσαντες οἱ παῖδες τὸν πατέρα, ἐπανῆλθον εἰς τὰ βασίλεια (de Caracallo et Geta, Sept. Severi filiis). Herodian. libr. IV, c. 2, 3. p. 142—146. (ed F. A. Wolf.)

Indices.

I.

Index scriptorum antiquorum.

II.

Index scriptorum recentium.

III.

Index rerum et nominum.

Errata.

Pag. 5 not. 5b, Z. 10 l. Antonino pro Antonio.
— 24 Z. 18 . . . l. Caracallo p. Caracalla.
— 34 Z. 22 . . . l. Syriae p. Tyriae.
— 36 not. 30, Z. 3 l. *CΩTEIPA*.
— 37 Z. 4 . . . l. Pamphyliae.

Typis descripsit E. Polz Lips.